van Schevichaven
1919

WILHELMUS DE BERCHEN,

RECTOR PAROCHIALIS ECCLESIE NYELL, DUYFLIE,

DE NOBILI PRINCIPATU GELRIE ET EIUS ORIGINE.

E CODICE ARCHETYPO, QUI NOVIOMAGI SERVATUR, DESCRIPSIT, VULGAVIT BREVITERQUE ANNOTAVIT

L. A. J. W. SLOET VAN DE BEELE, IUR. UTR. DR.

Gubernator quondam Generalis in India Orientali; hoc tempore Delegatus ad cameram secundam Ordinum Generalium; adscriptus Academiae Regiae Scientiarum, quae Amstelodami est; Societati Leidensi pro Litteratura Nederlandica; Groninganae, Pro excolendo iure patrio, cet. cet.

HAGAE COMITUM,
APUD MARTINUM NIJHOFF.
MDCCCLXX.

707

Historiam conscribere ducatus Gelriae et comitatus Zutphaniae quum rogatu Ordinum earum regionum in se suscepisset Joh. Is. Pontanus, philosophiae et matheseos professor in academia Harderovicensi, sed qui editis iam antea compluribus libris historicis magnam sibi comparaverat nominis famam, praeter alia, quibus ad eam rem uteretur documentis, nactus est librum quemdam ineditum, de quo in Commonitione ad lectorem ita scripsit: «Berchemius manuscriptus, qui urbis Neomagi tam vera quam fabulosa, tum et comites ducesque ex variis authoribus collectos, describere, sed stilo et verbis, ut eius erat seculum, inconditis, instituerat». Hoc labore Berchemii — cuius nomen tamen potius Berchenii videtur scribendum esse — Pontanus plurimis locis usus est in magno illo volumine quod de historia Gelriae compositum edidit Amstelodami a. 1693. F°., et sic ad publicam notitiam venit argumentum libri antiquioris, qui sine dubio fons est historiae nequaquam spernendus; cuius tamen existentia fortasse iam aliis fuerat memorata, sed certissime ab Valerio Andrea, qui Bibliothecam suam edidit a. 1623.

Post Pontanum eodem libro usus est A. van Slichtenhorst in opere quod inscripsit: Veertien boeken van de Gelderse geschiedenissen, (Arnhem 1654), tum quoque Joh. Smith, in: Oppidum Batavorum, (Amsterd. 1644) huiusque filius Joh. Smetius in: Chronyck van de oude Stadt der Batavieren (Nymegen s. a.) Denique nomen Berchenii saltem nominatur

inter auctores, quibus se usum esse dicit H. K. Arkstee in poemate, cui titulum dedit: Nymegen, de oude hoofdstad der Batavieren, in dichtmaat beschreven. (Amsterdam 1733.)

De auctore ipso haec leguntur apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgica (ed. 2^{ae}) p. 306: «Berchemius scribebat compendium chronicorum Geldriae, e diversis, ut praefatur, chronicis in longum protactis. Multa interserit ad externam etiam historiam spectantia, ut de rebus in Flandria, Hollandia et alibi gestis. Vidi illud aliquando Antverpiae: ex eoque epitome brevis asservatur Lovanii ad S. Martinum; et Canonicum S. Stephani ac Protonotarium fuisse Noviomagensis ecclesiae titulus indicat». Haec epitome nunc servatur Bruxellis in bibliotheca Burgundica sub numero 2356.

In reliquis, qui de Berchenio disseruerunt, est Foppens in Bibliotheca Belgica, P. I. p. 391, qui tamen sua derivavit ex Valerio Andrea. Uterque dicit, eum natum fuisse Duyfliae in Gelria; quod tamen multum abest ut pro indubitato possit haberi.

Porro De Chalmot in Biographisch Woordenboek der Nederlanden, P. II. p. 316, in ceteris sequitur notitiam Foppensii, addit tamen Berchenium mortuum esse a. 1466, pro quo in Lexico, quod edidit Van der Aa, perperam legitur a. 1566, qui non dubium est quin error sit a typographo commissus. Quicquid autem sit, equidem vix crediderim posse definiri quo anno Berchenius mortuus sit, ni cui placeat, quod istis quos dixi, videtur placuisse, sine ullo argumento contendere auctorem eo ipso anno fuisse mortuum, quo historia ab ipso sit finita. Sed alium praeterea errorem commisit Van der Aa, qui pro certissimo statuat Berchenium natum fuisse Noviomagi, quum ipse quidem hoc tantum de se p. 2. testetur se «ex eius urbis progenitoribus originem duxisse». In quem eundem errorem videtur incidisse Smetius in Praef. ad opus suum, quod supra memoravimus, p. XI, n. 16. Quamquam hoc quidem non potest negari, Berchenium et fuisse huius urbis amantissimum, ad cuius quippe laudem nihil omnino negligat

narrare, quod eo duci potuisse videretur, et omnem fere historiae suae tenorem ad Noviomagi historiam retulisse.

Berchenii nomen praeterea a multis scriptoribus memoratur, qui aut ipsam historiam tractarunt aut de antiquioribus historicis exposuerunt: ex quibus tamen singulis haud scio an nihil novi discere possimus, quum alter alterum fere ad verbum descripserit. In horum numero est: Petr. Scriverius, Batavia illustrata p. 199; J. G. Vossius, de Historicis Latinis, l. III, c. VI, p. 177; P. Merula, Urbis Noviomagensis delineatio, apud Pontanum, p. 53; L. Moreri, Grand Dictionnaire Historique, v. Berchem; C. W. Vonck, in Praef. ad Huygenii librum: Beschrijving van Doesburg, p. XIV; J. D. van Leeuwen, in Praef. ad Chronicon Tielense (Traject. ad Rh. 1789); W. A. van Spaen, Oordeelkundige inleiding tot de historie van Gelderland (4 voll. Utrecht 1801—05) t. II, p. 20 et saepius; F. V. Goethals, Lectures rélatives à l'histoire des sciences en Belgique (4 voll. Brux. 1837—38), t. I, p. 21.

Opus autem Berchenii, licet a tam multis scriptoribus usurpatum sit aut saltem memoratum, quin et aliquando annotationibus illustratum, scriptis a Joh. Velpen, medico Noviomagensi, quibus se usum esse dicit Slichtenhorst, L. II. p. 59. nihilominus tamen mansit adhuc manuscriptum, nec a quoquam historiae studioso per artem typographicam pluribus exemplis multiplicatum est. Cuius negligentiae sanequam indignae causam non longe quaerendam esse quivis intelliget, qui sibi in mentem revocari sinat non melioris conditionis fuisse plurima optimae notae documenta historica, quae per longam annorum seriem in abditissimis angulis latuerunt manuscripta ut plurimum pulvere obruta; quorum publicandorum studium nostris demum temporibus effloruisse gaudemus.

Huc accedit quod codex Noviomagensis aliquot annis frustra quaesitus pro deperdito habitus sit. Sic saltem de eo loquitur Van Spaen o. l. t. II. p. VI. cuius verba mox citabimus. In qua eadem opinione fuit vir doct. de historia et antiquitatibus

Gelriae meritissimus, Is. An. Nijhoff, in: Gedenkwaardigheden uit de geschiedenis van Gelderland t. III. p. LXXVII. n. 2. quae pars prodiit a. 1839.

Tertia quaedam fortasse causa fuit quod Berchenius Latina dictione usus sit, non dicam ineleganti, sed tam barbara et obscura, ut pluribus in locis vix ac ne vix quidem intelligi possit. Quidquid autem hac de re sit, et licet negare nolim esse quaedam in hoc libro, quae non satis intelligam, sunt tamen longe plurima, quae satis bene intelligi possunt. Et ea equidem tanti momenti esse iudicavi, ut facile mihi persuaderi passus sim suscipere laborem edendi operis, quod et Van Leeuwen censuit non indignum esse quod e tenebris in lucem erueretur et Van Spaen omnium historicorum cognitione dignum esse pronuntiavit; quibus addi poterit iudicium quod de Berchenio tulit Koenen, quod mox memorabimus.

Codex operis Bercheniani archetypus est in bibliotheca publica urbis Noviomagensis, cuius mihi usum perhumaniter concessit vir amplissimus Byleveldt, eius civitatis burgimagister meritissimus.

Editionem huius codicis senatus Noviomagensis decreto suo d. 25 Augusti a. 1751 mandaverat Vonckio, JCto, philologo et historico illius urbis, qui editis compluribus non vulgaris doctrinae scriptis dudum inclaruerat. Qua de re sic scripsit Joh. Koenen in: Geschichte des Herrn Corn. Val. Vonck (in libro Joh. Chr. Strodtmanni, Das Neue Gelehrte, Europa t. I. p. 241.) «Er — Vonck — ist itzo meisten damit beschäftigt, dass er Wilhelms von Berchem, eines ehemaligen canonici zu Nimwegen und Vorstehers der Kirche Niell in der Duiffelt, Chronicon Gelriae aus dem Nimwegischen Archiv ans Licht stellen mögte. Der Rath zu Nimwegen hat ihm diese Arbeit auf eine solche Art aufgetragen, die ihm Ehre macht. Dieser Wilhelm von Berchem hat zu den Zeiten des Hertogs von Geldern Adolph von Egmond gelebet und bis dahin hat er auch seine Geschichte fortgeleitet. Seine Schreibart ist gar

nicht zierlich und smecket vielmehr nach der Unwissenheit seiner Zeiten. Indessen wird dadurch die Geldrische Geschichte keines geringeres Licht erhalten, weshalben unsern Gelehrten auch zur Vollendung dieser Arbeid billig Kräfte anzuwünschen sind.»

Vonckius autem quum laborem, quem susceperat, non perfecerit, equidem dudum opinabar me operae pretium esse facturum si laudabilis iste et a pluribus exoptatus denuo susciperetur labor. Nec tamen prius operi manus admovi, quam et veniam impetrassem a burgimagistro Noviomagensi et opinionem implorassem eorum virorum doctorum qui in Societate Litteraturae Nederlandicae praecipuam operam navant rebus ad historiam et antiquitatem pertinentibus. Quorum omnium sententia quum talis esset, qualem eam fore speraveram, faustis ominibus librum parare aggressus sum, quem nunc feliciter absolutum sub illorum auspiciis in lucem edidi; gratus cum erga alios, qui mihi auxilium suum non denegarunt, tum inprimis erga virum doct. Suringar, gymn. Leidensis rectorem, qui permulta mihi consilia dedit et omni studio me adiuvit.

In procuranda igitur hac editione praesto mihi fuit codex formae maximae, continens apographum, quod aliquando possedit Van Leeuwen, editor Chronici Tielensis, factum ad exemplar apographi quod habuit Lotichius, professor Noviomagensis; negligenter scriptum et plurimis laborans vitiis et omissionibus. In fronte libri haec leguntur: »Apographum libri M. S. qui in civitatis Noviomagensis curia servatur, et cuius titulus est: *Wilhelmus de Berchem rect. parochialis ecclesiae de Nyell Dufliae de illustri et alta prosapia Domus Gelriae nobilique comitatu Zutphaniensi sive Chronicon Gelriae.* [Hic autem titulus fictus est a scriba, utpote qui in codice Noviomagensi non comparet. Tum sic pergitur:] In componenda historia Gelriae usus quoque fuit, saepiusque allegavit magnus J. I. Pontanus: Laudat et ampl. C. V. Vonck in praefat. ante Huygens beschrijving van Doesburg etc. Descriptum hoc est apographum ex apographo clar. viri Ph. Lud. Lotichii recto-

ris gymnasii, dum viveret, Noviomagensis et mathes. phil. et ling. professoris, quod ibidem in curia quoque extat, senatusque Noviomagensis mihi commodaverat anno 1782. Apographo illo Lotichiano usus tunc fui in notis ad Chronicon Tielense quod edidi anno 1789. Joh. Did. van Leeuwen. De ipso opere et scriptore vid. et ibid. in praefat.»

Satis magnam vero partem laboris quum absolvissem, nactus sum alterum apographum, quod ex archivis Spaenii servatur Hagae Comitum in bibliotheca Summi Collegii quod Nobilitatis res curat. Est hoc quidem scriptum manu admodum nitida, aut exeunte superiori, aut ineunte hoc quod vivimus seculo, sed iisdem, quibus alterum, laborans vitiis quamquam non tam frequentibus. In fronte hanc habet inscriptionem: «Apographum libri M. S. Wilhelmi de Berchem, rectoris parochialis ecclesie de Nyell Duyflie: De illustri et alta prosapia Domus Gelrie, nobilique comitatu Zutphaniensi.»

Finito fere labore meo cognovi extare tertium quoddam apographum in bibliotheca publica Arnhemiensi, scriptum in charta formae maximae, manu nitida, quae, si quid video, referenda est ad seculum XVII, et Gallicae nationis hominem prodit. Hunc autem, quisquis fuerit, satis idoneum fuisse rei quam ageret, documento est Index duodecim paginarum, qui operi praemissus est, accurate confectus. Apographum hunc gerit titulum: »Wilhelmi de Berchen, rectoris provincialis ecclesiae de Niell Duifliae, Chronicon Geldriae;» in quibus verbis, similiter atque in ipso apographo p. 3, perperam p r o v i n c i a l i s scriptum est pro eo, quod in codice Noviomagensi legitur, p a r o c h i a l i s. Est autem summopere dolendum quod liber, qui 222 paginas complectitur, in postremo deficiat; nec enim progreditur ultra verba: «Post tantorum praeclarorum virorum, Eduardi et Reinaldi, ducum Geldriae, absque liberis repentinum decessum,» quae in nostra editione sunt p. 115.

Undecima denique, ut nostrates aiunt, hora quartum quoddam in meas manus pervenit apographum ex bibliotheca

Noviomagensi; quod si prius adhibere mihi contigisset, reliquis istis facile potuissem carere. Scriptum est scilicet et nitidissima manu et multo minus vitiosum quam reliqua. Continetur paginis 409 formae quartae, hanc in fronte gerens inscriptionem: «Apographum Libri MSS Wilhelmi de Berchen, Rectoris Parochialis Ecclesie de Nyell Duyflie: De illustri et alta prosapia Domus Gelrie nobilique comitatu Zutphaniensi.» Incipit autem a fabula equitis illius qui a cygno nomen tulit; tum sequitur historia civitatis Tungrensis p. 10—16. denique nostrum, quod dedimus, scriptum p. 17—409.

Praeter quatuor autem ista recentiora apographa, quae videre mihi contigit, aliud quoddam Hamburgi servatur, scriptum foliis 34, hunc gerens titulum: «Wilhelmi de Berchen, rectoris ecclesiae parochialis de Nyenduyflie (sic) Chronica civitatis Neomagensis et comitum Gelriae et Zutphaniae usque ad a. 1481,» et aliud Wolfenbüttel, cui titulus: »Chronicon Gueldriae partim a Wilhelmo de Berchem descriptum.» Hoc cognovi ex opere quod inscribitur: Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, VI. p. 241 et p. 16.

Nomen auctoris nostri ab omnibus, qui eius mentionem fecerunt, scriptum inveni *Van BercheM*, quod mihi quidem, quamquam contradicente Vonckio, videtur scribendum esse *Van BercheN*; ubi enim de se ipso loquitur auctor p. 2. haec legimus: «*Ego, Wilhelmus de BercheN, rector parochialis ecclesie de Nyell Duyflie*». Hic autem locus est qui nunc vocatur Niel, in ea parte Duffeliae, quae his temporibus pertinet ad Borussiam.

Quod porro Valerius Andreas narrat, se Epitomen vidisse, in qua Berchenius dicatur fuisse Canonicus S. Stephani ac protonotarius Noviomagensis, hoc mihi quidem admodum dubium videtur, quum vix causa possit excogitari, quare Berchenius hos titulos reticuisset, si ipsos gerere licuisset. Quo accedit, quod capitulum Noviomagense demum post a. 1471 conditum sit per papam Sixtum IV, per bullam sine anno et

Zie een paar aanteekeningen omtrent van Berchen in myn „Penschetsen uit Nymegens Verleden" bl. 53. D. I
Van Berchen was werkelyk kanonnik van de H. Stephens kerk. Zie Bijdr. voor Vad. Gesch. en Oudheidk. 4e Reeks D. II 1e afl. bl. 27.

die, sed datam post dictum annum quo papa electus est. Nec tamen non fieri potuit ut tituli isti Berchenio concessi sint, quum opus suum absolvisset.

Quod autem ad suas quidem res pertineat, nihil omnino in suo scripto commemoravit Berchenius praeter hoc unum, quod p. 26 domicellum Iohannem de Groesbeeck nominet patronum suum, apud quem viderit antiquissimas cartas et quoddam diploma Henrici imperatoris, sigillo et signo imperialibus communitum. Ceterum plura sunt indicia quae probant Berchenium fuisse hominem maxime pium. Ne de ipso operis initio loquar: Deus est, inquit p. 19, qui vocat ea quae non sunt et mutat tempora et transfert regna. Similiter p. 50: Deus est, qui exaltat et humiliat; et p. 88. Reynaldum Divina providentia undique triumphis et victoriis sublimavit ac coram principibus gloriosis laudibus magnificavit. Alibi p. 104, procurante diabolo, humani generis inimico, ortam esse docet discordiam inter fratres Reynaldum et Eduardum. Contra iterum p. 111. Sed prius Deus, qui suis nunquam deest amicis, aliter in ipsa providit hora. Alibi rursus, p. 115, Gelriam atrociter punitam esse Deo permittente et peccatis hominum exigentibus. Huc praeterea referri posse videntur dictiones quibus Berchenius utitur, ubi, qui pie vixerunt, mortuos esse commemorat. Cuiusmodi sunt: p. 30. Godefridus et Balduwinus, meritis et actibus gloriosis vitam finientes, in Domino mortui existunt; p. 37. Gerardus, absque liberis discedens, migravit ad Dominum; p. 115. Reynaldus, absque liberis debitum naturae exsolvit et obdormivit in Domino; et si quae sunt hoc genus alia.

Aliunde autem nihil omnino comperire mihi contigit de Berchenii rebus, praeter hoc unum, quod tamen satis leve videtur. Scilicet ex publico quodam, ut dicitur, instrumento, quod d. 17. m. Maii a. 1463 conscriptum est, apparet Berchenium fuisse unum eorum, quos procuratores constituit dominus Henricus de Baerssdonck, commendator sive locum

tenens domus ordinis sancti Iohannis Iherosolimitani oppidi Novimagii, Coloniensis diocesis (*).

Praeter hoc opus, alia eiusdem auctoris opera memorantur. Huc pertinet libellus, quem Van Spaen in parte secunda o. l. hoc nomine publicavit: «Cronica brevis illustrium ac magnificorum principum domus Gelriae per Dom. Wilhelmum de Berchem, canonicum almifici protomartiris Stephani.» Haec scilicet est illa epitome, quam Valerius Andreas memoravit; de qua mox dicturus sum.

Inter scriptores, quos supra memoravi, sunt qui dicant Berchenium scripsisse etiam Historiam captivitatis Adolphi, Gelriae ducis, eumque librum adservari Noviomagi inter archiva illius ducatus. Vid. Valer. Andreas et Foppens l. c. Quid autem aliquando fuerit, haud facile quisquam dicat, sed hoc tamen affirmaverim, talem librum nunc quidem eo loco non amplius extare. Nec tamen non fieri potest ut alio quodam loco istud scriptum lateat etiamnunc, vel olim extiterit. Certe

---

(*) Operae pretium erit ipsa huc referre verba publici istius instrumenti, quippe quod, quantum equidem scio, hoc unicum sit eius aetatis testimonium, in quo Berchenii mentio facta sit. Extat autem in Archivis civitatis Noviomagensis, et his conceptum est verbis:

In nomine Domini. Amen.

Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo tercio, indictione undecima, die autem Martis decima septima mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii, divina providentia papalis sedis anno quinto, in mei notarii publici et testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia personaliter constitutus venerabilis et religiosus vir dominus Henricus de Baerssdonck', commendator sive locum tenens domus ordinis sancti Iohannis Iherosolimitani opidi Novimagii, Coloniensis diocesis, omnibus melioribus via, iure, causa et forma, quibus melius et efficatius potuit et debuit fecit, constituit et solempniter ordinavit suos veros, certos et indubitatos procuratores (etc.).

Videlicet honestos et discretos viros dominos Wilhelmum de Berchem, ecclesie parochialis in Nyell Duflie rectorem, Coloniensis diocesis, presentem et onus procurationis huiusmodi suscipientem, ac Iohannem Stetenberch, decanum Spirensem; absentem tanquam presentem, et quemlibet eorum in solidum.

in apographo illo Arnhemiensi, de quo supra locutus sum, in altera post titulum pagina vir quidam doctus haec annotavit: «Captivitatis Adolphi, Ducis Gelriae, historia per Wilhelmum de Berchen, ad an. 1470. Siet het Register, berustende by de burgemeester Dibbitz, getrucken uut de papieren van Ruremunde.

Alia, quae ad nostrum scriptorem pertineant, reperire non potui.

Opus ipsum finitur in brevissima commemoratione de duce Adolpho, quem Berchenius dicit in imperio fuisse regnante Frederico imperatore, et matrimonium iniisse cum Catharina, filia ducis Borboniae; quae res accidit a. 1463. Hic dux, patre suo Arnoldo in captivitatem ducto, ad imperium venit a. 1465, sed non multo post ipse eandem quoque sortem subiit a. 1470. Qua de re quum Berchenius nullam omnino faciat mentionem, non multum me aberraturum esse opinor, si finem operi impositum esse contendam eo temporis spatio, quod inter illos quos dixi annos medium intercedit. Vid. quoque metra vel versus p. 3.

Quemnam titulum operi suo dederit Berchenius, aliquantisper dubium est; quin et fieri potest ut nullum titulum suo labori dederit auctor: quae res apud antiquiores certe non sine exemplo est. Ipse quidem p. 1. dignissimum esse dicit scribere de illustri et alta prosapia domus Gelrie; et p. 2. scriptum suum vocat breve compendium. Alibi vero p. 18. dicit principale sibi propositum esse, scribere de nobili principatu Gelrie et eius origine. Et his quidem verbis equidem opinatus sum Berchenii librum optime esse compellandum. Nec enim valde mihi quidem placet, quippe praeter veritatem dictum, quod pronuntiavit Smith, o. l. p. 153, Berchenium nominasse opus suum Compendium ex diversis chronicis de Geldriae domo et urbe Neomagense. Quem titulum suo arbitratu Smetius, o. l. p. XI. sic in brevius contraxit: Chronicon de domo Geldriae et urbe Neomagense.

Codex archetypus in fronte haec habet, quae tamen recentiori manu sunt scripta: Chronicon Geldriae Guilielmi de Berchen; sed in dorso legitur: Historia Geldriae Bercheni; in quibus recentior manus litteram N mutavit in M; quod falsum esse supra dixi. Equidem, etsi isti tituli vel aliquanto magis conveniant cum argumento, putavi tamen librum sic esse inscribendum quod auctor ipse dixit sibi principale propositum fuisse.

Continet codex paginas 187 formae quartae, scriptusque est in charta viliori, quae diversa in se gerit officinae signa. Totus quidem liber videtur scriptus esse in posteriori parte seculi XV, nec tamen ab una manu; quo factum est ut non omnes paginae habeant eundem linearum numerum. In prioribus foliis scriptae sunt 26 lineae; in iis autem quae sequuntur, modo 30, modo 31, modo 32. Et atramentum, quod in principio satis nigrum est, in sequentibus factum est flaccidum et subfuscum.

Prima littera codicis, ut fere in MStis fieri solet, rubricata est; et similem ornatum habet nomen Noviomagi p. 3 et Karoli p. 7, denique omnium comitum et ducum. Rubricator autem, cui, ut videtur, mandatum fuerat omnes litteras maiusculas per lineam rubram secare, quum textum ipsum non intelligeret, eo processit ut penicillum suum omnibus fere litteris admoverit, quae aliquanto maioris essent formae. Qua re factum est ut hic illic lectio codicis admodum sit difficilis; difficilior etiam eo quod varii scribae variis usi sint scripturae compendiis, neglecta interpunctione: quibus incommodis etiam hoc accessit, quod complura folia perniciosam experta sint vim humoris. Vix igitur necesse erit dicere, quod quivis facile intelliget, quantum laboris et taedii sibi pariat qui huiusmodi codicem describere instituerit.

In eodem volumine, quod Berchenii opus continet, etiam alia quaedam inveniuntur scripta latina. Scilicet in paginis octo prioribus legitur historia Equitis illius qui a cygno nomen tulit; sed ita conscripta, ut multum differat ab historia vulgari:

de quo discrimine memini me superioris anni mense Maio referre in conventu Sectionis Litterariae, quae partem facit Academiae Regiae Scientiarum Amstelodamensis; quae Relatio nuperrime typis expressa, inserta est volumini XII operis Verslagen en Mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Afd. Letterkunde. (Amsterdam 1869.)

Eam historiam, sive potius fabulam, sequitur in codice nostro historia civitatis Tungrensis, dictae Octaviae.

Post opus nostrum paginis 450 leguntur Vitae et Legendae Sanctorum, Orationes et alia quaedam magis ad astronomiam quam ad historiam pertinentia; quae omnia scripta videntur seculo XV, sed diversis manibus et charta diversa.

Est igitur hic codex ex eo genere codicum quos bibliothecarii vocare solent miscellaneos.

In Vitis autem istis sunt nonnullae, quas non habent Acta Sanctorum Bollandistorum et aliae eius generis collectiones.

In fronte Codicis invenitur Index vel, ut ibi dicitur, Tabela super Cronicam Gheldrie, scriptus ut videtur aut exeunte seculo XV aut ineunte XVI. Istum quidem laborem, quamquam parum diligenter confectum, hic exhibendum censuimus ne quid quod huc pertineat, neglexisse videamur. Apparet autem eum, qui hanc tabulam confecit, opus Berchenianum sibi dissecuisse in capitula: qua in re tamen quam sibi legem scripserit, omnino non apparet.

Paginae codicis numeratae sunt siglis quae Arabica solent appellari; in quorum usu tamen is, qui ea adscripsit, ita versatus est ut v. c. numeros qui post 108 et 109 sequuntur, non scripserit 110 et 111, sed 1010 et 1011; et ita in reliquis.

Paene autem neglexeram monere, quod maxime fuit dicendum, Codicem nostrum hic illic misere esse defectum. Pluribus scilicet locis — ne dicam omissas esse quandoque voces, quas tamen plerasque per coniecturam supplere conatus sum, uncinis inclusas — pluribus autem, inquam, locis sententia aliquot verbis inchoata ita repente abrumpitur, ut nequaquam

suspicari liceat nec quid scriptor voluerit nec quanta pars sit, quae desideratur; cuiusmodi quid invenitur p. 37. 111. 126.

Restat ut breviter dicamus de pretio operis Berchenii et paucis explicemus, quid historiae studium inde possit lucrari. Van Spaen, cuius iudicium hac in re multum valet, non videtur admodum delectatus esse hoc opere. Hic enim, ubi, de paucitate conquestus documentorum verorum et aequalium, invehitur in exiguam fidem historicorum serioris temporis, sic scribit, o. l. I. p. 29: Van Berchem, bij voorbeeld, is zig zelven niet gelijk; in zijne historie geeft hij de opvolging der graven van Gelre op eene wijze op, die men bij Pontanus vindt; en in een handschrift van hem, dat wij uit de abdije van Elten ontvangen hebben, staat het geheel anders: welk stuk wij onder de bijlagen hebben laten afdrukken, om het onderscheid te toonen. Sed, si quid video, imponi sibi passus est Van Spaen, qui crediderit maiorem istum et minorem librum ab eodem auctore esse conscriptum. Quantum autem inter utrumque distet, facile, tu credo, cuivis apparebit contendenti: quod quo commodius fieri possit, minorem istum libellum, Appendicis loco, huc addendum curavi. Caussa autem erroris haec videtur, quod Van Spaen sententiam de utroque libro pronuntiavit, quum non nisi alterutrum vidisset et maiorem illum crederet non amplius extare. Sic utique ipse confessus est o. l. II. p. VI: Dewijl ik in veelen opzigten Willem van Berchem heb moeten tegenspreken, eischt de waarheid openhartig te bekennen, dat dit belangrijk werk mij niet anders dan uit de aanhalingen bij Pontanus en elders bekend is, alzo het oorspronkelijke en een nader afschrift, die zig op het raadhuis te Nijmegen bevonden, aldaar thans vermist wordt. Revera igitur non dubium est quin codex Noviomagensis aliquamdiu latuerit in tenebris; unde in lucem protactus sero demum potuit innotescere Spaenio, quum hic totum suum opus iam absolvisset: quapropter de eo tantum loqui potuit in Addendis et Corrigendis ad t. IV. p. 303, quae pars prodiit

a. 1805. Eo autem loco Van Spaen magnopere laetatur, quod apud Berchenium nihil omnino invenerit de origine comitum Gelricorum ex gente Nassovica, quod scilicet Van Spaen pertinaciter sed simul docte negaverat contradicente Bondam: Wij moeten hem daarom, — ita scribit, — van de beschuldiging vrijpleiten van ten minste in dat werk, die genealogie uitgedacht te hebben. Addere potuerat, quod aequum fuisset, Berchenium non magis ex ingenio suo finxisse Praefectos; quippe qui historiam Gelriae, post brevem commemorationem dominorum De Pont, non secus ac Van Spaen, incipiat a Megingozo, p. 19. Quin et oportuerat Van Spaen, ubi meliora didicisset, inducere quoque ea quae dixerat de Berchenio, tamquam qui ab Equite Cygneo suam incepisset historiam.

Nequaquam negari poterit, reperiri in hoc opere, quae perverse sint exposita, et esse subinde erratum aut in nominibus propriis aut in numeris annorum. Pro parte tamen haec non Berchenio imputanda sunt, sed iis qui eius librum descripserunt. Alios autem errores cum multis aliis historicis habet communes: cuiusmodi hic est, quod non satis distinguere soleat inter comites Gelriae et comites Zutphaniae, quibus temporibus duae istae regiones nondum erant unius imperii. Sed qui ab omni errore immunis fuerit, non facile quisquam reperietur, nec chronicorum, nec annalium, nec cuiuslibet generis historiarum scriptor. Quodsi igitur iudicium ferendum est de historici laudibus, contenti simus si viderimus — id quod in Berchenii opere facile videmus — eum et potuisse verum scire et voluisse verum tradere, nec cuiquam pepercisse labori, quo librum suum redderet perfectiorem. Nec sane magis ipsi vertendum est laudi quod antiquiora documenta consuluerit fideliter, quam quod saepius diplomata ipsis verbis commemoraverit, quae aliunde non novissemus. Adde quod non raro sterilem factorum enumerationem condire studeat ratiocinationibus, nec immemor sit eorum quae iisdem tempestatibus in aliis terris acciderunt. Est igitur mea quidem sententia Ber-

chenius longe praeferendus auctori anonymo qui aetate eadem composuit Chronicon Tielense, et Geldenhauero et Aquilio et multis aliis, qui post Berchenium scripserunt et multo plura subsidia ad suos usus habuerunt parata.

Quibus autem subsidiis usus sit Berchenius, haud difficile dictu est; in plerisque enim quae exposuit, suos ipse indicavit fontes. Quod quo promptius appareret lectoribus, confectus est a nobis, quem huic operi praefigere necesse duximus, Index auctorum, chronicorum, epistolarum, legendarum, litterarum, metrorum, aliorumque scriptorum, quae a Berchenio citantur. Ex iisdem autem illis fontibus quum et alii hauserint Chronicorum auctores, facile intellectu est qua re factum sit ut Berchenianum opus haud raro cum aliorum operibus conveniat; cuiusmodi sunt: Iohannis de Beka, Chronicon Tielense, Chronicon Egmundanum, quod Kluit edidit in Historia critica comitatus Hollandiae et Zeelandiae. Si cui vero libuerit hos omnes scriptores inter se comparare, videbit Berchenium ut plurimum esse ampliorem. Praeterea quoque in Chronicis Coloniensibus, quae a. 1499 hoc titulo edita sunt: Die Cronica van der hilliger stat Coelen, multa leguntur, quae ad verbum cum Berchenio conveniunt.

Ubi Berchenius fontes nominat, ex quibus sua hausit, in eorum locos, quantum potui, inquisivi. Reliquae autem inquisitioni, quibus praeterea chronicis aut annalibus aut documentis publicis uti potuerit, supersedendum esse duxi: apparebat enim facile fore ut huius operae pretium nequaquam responderet labori impendendo. Inprimis igitur curam in eo adhibui ut indicarem quibus locis inveniantur documenta, diplomata, et quae sunt huius generis alia, quae a Berchenio in partes vocantur: quo facto quippe satis possit iudicari de fide historica nostri auctoris, et simul apparere in quibus conveniat cum aliis, in quibus discrepet ab iis, tum in quibus brevior, tum in quibus amplior sit. Et praecipuam quidem inquisitionis meae partem sufficiat publicasse in Annotatione:

quam profecto altero tanto longiorem possem facere, si omnia vellem edere, quae a me collecta in scriniis reservari praeplacet; sed nunc quidem, aliis laboribus occupatus, satis habui ad eas res, quae Gelriam spectant, attendisse animum.

In describendo codice summa fide, quantum quidem sciam, me usum esse profiteor; id est, excepta interpunctione, quam necessario addendam esse duxi, quod nostrum seculum ea aegre careat, nihil quicquam nec in verbis nec in orthographia mutavi; praeterquam ubi facillimum erat videre scribam aut sibi non constitisse, aut calamo esse lapsum. Sic enim semper putavi agendum esse ei qui ineditum scriptum primus in lucem proferat; quam eandem opinionem professus est vir doct. Eckertz, qui, ubi edidit Cronica praesulum et archiepiscoporum ecclesiae Coloniensium, (in: Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein t. II. p. 294) ita scripsit: «Die Orthographie der Handschrift, wo sie nicht etwa auf einem Schreibfehler zu beruhen schien, habe ich für gut befunden streng bei zu behalten. Sie gehört gleichsam zur Physiognomie der Handschrift, und wenn man ein treues Bild jener geben wil, so darf man diese nicht änderen.» Huic igitur consilio obsecutus codicem talem, qualis est, typis describendum curavi, emendatis tantummodo hic illic in quibus manum scribae errasse manifeste apparebat.

TABELA SUPER CRONICAM GHELDRIE. *)

De rege Oriant. Ca°. primo.

De civitate Thungerensi dicta Octavia. Ca°. 3°.

De prevasione Cronice Geldrie et Zutphaniae comites. Ca°. 4°.

De fundacio civitatis Novimagensis. Ca°. 5°.

De Karolo Magno et renovacione castri Novimagensis. Ca°. 8°.

De comitatu Flandrie. Ca°. 12°.

De comitatu Hollandie. Ca°. 12°.

De Helyrnando hystoriographo. Ca°. 12°.

De privilegio Novimagensium. Ca°. 12°. et 13°.

De recommendacione civitatis Novimagensis per magistrum Laurentium. Ca°. 15°. et 16°.

*) De hac *Tabela* diximus in Praef. p. XIV. Curavimus autem eam ad verbum describendam, nec omissis duobus prioribus, qui a Bercheniano opere alieni sunt, articulis et servata orthographia ut plurimum vitiosa.

De principatu Gheldrie et eius origine. Ca°. 16.

De arma Gheldrie. Ca°. 17.

De primo comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 18.

De initio comitatus Merckensis. Ca°. 20.

De comitatu Montensi et eius initio. Ca°. 20 et 21.

De primo Ottone, secundo comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 22.

De Gherlaco 3°. comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 24.

De secundo Ottone, 4°. comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 25.

De Gerardo, quinto comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 26.

De comite Hermanno de Kuyc, eius comitatu. Ca°. 26.

De Heynrico sexto comite Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 27.

De Fredrico magno imperatore, filio Fredrici. Ca°. 29.

De Gerardo II°. et septimo comite Gheldrie etc. Ca°. 30.

De tercio Ottone, comite octavo Gheldrie et Zutphanie. Ca°. 30.

De divisione ducatus Saxonie. Ca°. 34.

De capcione civitatis Iherusalem. Ca°. 35.

De liberacione terre sancte et morte imperatoris. Ca°. 35.

De abbate Iohachim et dictis eius. Ca°. 36.

De capcione comitum Hollandie et Gheldrie et Zelandie et matrimonio cum filia Brabancie. Caº. 40.

De Gerardo 3º. et IXº. comite Geldrie. Caº. 42.

De predicacione crucis contra Albanienses. Caº. 43.

De morte Enghelberti, archiepiscopi Coloniensis et Fredrico comite. Caº. 46.

De quarto Ottone, xº. comite Geldrie et Zutphanie. Caº. 48.

De secunda uxore de Sympol Ottonis comitis Geldrie. Caº. 48.

De cruçe contra Stadingos in episcopatu Bremensi. Caº. 49.

De electione Wilhelmi comitis Hollandie in regem Romanorum. Caº. 51.

De guerra inter comitem Ottonem et inter ducem Brabancie. Caº.57.

De Reynaldo primo, ac comite Geldrie et Zutphanie xiº. Caº. 58.

De Sifrido archiepiscopo Coloniensi, quod obsedit castrum Carpene. Caº. 60.

De bello inter ducem Brabancie cum Reynaldo comite. Caº. 60.

De capcione comitis Flandrie, nomine Gwido. Caº. 62 et 63.

De Alberto rege Romanorum et bello. Caº. 64.

De prima capcione comitis Gheldrie sc. Reynaldi per filium. Caº. 65.

De secundo Reynaldo undecimo comite Gheldrie et Zutphanie ac primo duce. Caº. 66.

De tercio Reynaldo, XII°. comite Zutphanie et secundo duce Gheldrie. Ca°. 76.

De capcione dicti Reynaldi per fratrem suum. Ca°. 81.

De capcione Wilhelmi comitis Iuliaci, per filios. Ca°. 81.

De Karolo quarto imperatore, qui primo creavit Wilhelmum Iuliacensem, et Reynaldum Gheldrensem, duces. Ca°. 82.

De Eduardo duce Geldrie 3°. et comes Zutphanie XIII^us^. Ca°. 82.

De Reynaldo duce relaxato a capcione: praefuit ut dux post mortem fratris. Ca°. 86.

De morte ducis Reynaldi et parcialitatibus quae surrexerunt, et guerris inter sororem et filium sororis. Ca°. 86.

De duce Gheldrie 4°. sive Wilhelmo de Iuliaco, et comes Zutphanie XIIII^us^. Ca°. 89.

De Flagellatoribus. Ca°. 96.

De quarto Reynaldo, duce Gheldrie quinto et XV°. comite Zutphanie. Ca°. 96.

De Arnoldo, sexto duce Gheldrie et comite Zutphanie XVI°. Ca°. 96.

De Adolpho, VII°. duce Gheldrie et XVII°. comite Zutphanie. Ca°. 96.

INDEX

AUCTORUM, CHRONICORUM, EPISTOLARUM, LEGENDARUM, LITTERARUM, METRORUM, ALIORUMQUE SCRIPTORUM QUAE A BERCHENIO CITANTUR.

Adelheidis, Megengaudi filiae, Legenda. p. 23.

Aristoteles, de regimine principum. p. 2. Vid. etiam *Philosophus*.

Bulla Henrici III. Romanorum Imperatoris. p. 26.

Bulla aurea Henrici VI. de dominio Veluae. p. 47.

Chartae antiquissimae apud Ioh. de Groesbeeck reservatae. p. 26.

Chronica :

Auctoris incerti. p. 2. 3. 10.
Brabantiae. p. 51. 99. 103. 114. 119. 120. 126.
Clivensia. p. 98. 108. 113.
Coloniensia. p. 44. 60.
Flandriae. p. 99. 103.
Gregorii Thuronensis. p. 8.
Hollandiae. p. 99. 103.

Chronica :

Leodiensia. p. 51. 119.

Markensium. p. 60.

Monasteriensium. p. 60. 70. 71. 92. 108.

Saxonum. p. 24. 44.

Treverensium. p. 60.

Codices quidam. p. 3.

Cosmodromium. p. 24. Vid. Annot. p. 147.

Epistolae :

Fredrici, Romanorum regis, Maguntiae data a. 1172. (*epistola integra*) p. 39. Vid. Annot. p. 150.

Ludovici, ducis Bavariae, Romanorum regis, ad Reynaldum comitem, Rectis data a. 1327. (*epistola integra*) p. 89. Vid. Annot. p. 156.

Epitaphia :

In introitu templi sancti Nicolai. p. 5.

De reparatione Novimagii, in ecclesia Novimagensi. p. 36.

Reynaldi comitis, in ecclesia Mariae ad parietem pendens. p. 101. Vid. Annot. p. 158.

Gregorius Thuronensis. p. 8.

Helyrnandus historiographus. p. 13.

Henrici III. Romanorum Imperatoris, Bulla. p. 26.

Literae apud monasterium Pruenmiense reservatae. p. 26. Vid. Annot. p. 148.

Henrici VI. filii Fredrici, bulla aurea de dominio Veluae. p. 47. Vid. Annot. p. 151.

Henricus de Hervordia s. Hervordius. p. 86. Vid. Annot. p. 155.

Laurentius magister, physicus. p. 17. Vid. Annot. p. 146.

Legendae:

Adelheidis, Megengaudi filiae. p. 23.

Sancti Fredrici. p. 10.

Liber Niger. p. 119.

Libri antiqui, qui apud nos sunt. p. 25.

Libri feodales Traiectensis ecclesiae. p. 19. Vid. Annot. p. 146.

Literae s. Diplomata:

Domus Clivensis litera a. 1283 et 1290. p. 79. Vid. Annot. p. 155 eiusdem domus litera a. 1297. p. 83.

Domus Gelriae. p. 90.

Henrici III. Romanorum Imperatoris, apud monasterium Pruenmiense reservata. p. 26.

Henrici VI. Romanorum Imperatoris, a. 1196. in domo sancti Iohannis Novimagensis conservata. p. 52.

De translatione ecclesiae parochialis Novimagensis sanctorum Apostolorum, apud eam ecclesiam servata. p. 67. Vid. Annot. p. 153.

De Noviomagii nemore, theoloniis, piscaturis, monetis, aliisque iuribus et bonis, a. 1266. apud Novimagenses conservata. p. 75. Vid. Annot. p. 154.

Ottonis, a. 1204. ad ecclesiam sancti Lamberti Leodiensem. p. 51. Vid. Annot. p. 151.

Philippi de Heynsberch, Ottoni comiti, Henrici comitis filio, concessa. p. 42. 44. Vid. Annot. p. 151.

Philippi VI. Francorum regis, lingua Gallica confectae, apud principes ducatus Gelriae conservatae. p. 96.

Wilhelmi, Romanorum regis, ad Ottonem comitem. p. 64. 65. 66. 67. Vid. Annot. p. 153.

Ludovici sancti, Francorum regis, Vita. p. 77.

Meinverci, episcopi Padeburnensis, Vita. p. 25. Vid. Annot. p. 147.

Metra s. Versus:
Auctorum incertorum, p. 4. 36. 43. 68. 93. 101. 105.
Magistri Laurentii. p. 17.
Quae in eo erant ut memorarentur, omissa sunt. p. 125.

Missale ecclesiae de Meer. p. 17.

Philosophus i. e. Aristoteles. p. 114. Vid. *Annotatio*, p. 159.

Propheta i. e. Iesaïas (LVII. 1.) p. 23.

Proverbia:
De vryen orloghe. p. 105.
Quade Paesdagh. p. 116.

Scripta apud castrum Hoemen reservata. p. 16.

Speculum Historiale. p. 3. 86. Vid. Annot. p. 144. et 155.

Tullius in Paradoxis. p. 1.

CHRONICON GELDRIAE

GUILIELMI DE BERCHEN. *)

// Creator omnium, Deus, hominibus cunctis ex sua pietate esse **P. 1.** et vivere dirivans, alios ex ipsis rectoresque, 1) alios subditos certo ordine instituit in universo: ut hii iuste et sancte regentes, ac alii suis rectoribus debite obedientes, mercedem recipiant iuxta condignum in patria celesti. E quibus aliquanti rectores, sue salutis permemores, salubriter gubernarunt, et aliquanti, sui dispendii prodigi, populum sibi subditum nequiter neglexerunt. Quamobrem bonorum et iustorum memoria est nota apud Deum et homines, ac laus eorum in ecclesia sanctorum perseverat. Periit enim malorum et nephandorum memoria cum sonitu, qui cum iustis non scribuntur, morsque depascet eos in inferno. Cui alludit dictum Tullii in libro de Paradoxis, ad presens propositum clare digestum: Mors solum illis est terribilis, quorum cum vita acta extinguuntur, non autem hiis, quorum laus mori non potest. Cum itaque magnorum primatum et nobilium recordatio in multis codicibus frequentetur, et de ipsis, diverso quamvis stemate, curiosius peraretur, non mirandum arbitror, ymo fore dignissimum, ut de illustri et alta prosapia domus Gelrie,

---

*) Haec inscriptio, qua carebat Codex Neomagensis, debetur manui aut huius aut superioris seculi.

1) Copula huic nomini suffixa iubet suspicari excidisse aliquod verbum. Suppleri poterit *dominos* vel *reges rectoresque.*

partium Germanie, circa et prope Renum consistentis, cuique domui
P. 2. adheret iste nobilis // et antiquus comitatus Zutphaniensis — que quidem domus Gelrie, cum comitatu memorato sibi adiuncto, tot et tantis magnificis et potentibus rectoribus, successive prefectis, comitibus et postea ducibus, floruit et floret de presenti, prout inferius, Deo dante, patebit, — memoriter exaretur: ut eorum posteritas ac posteri, in actis et gestis predecessorum suorum victoriosissimis merito extollendis, sedulo recolant et ad memoriam iugiter revocent, seque tales habuisse antecessores permaxime gaudeant: ut eciam, eorum vestigiis felicibus inherendo, laudabilium et benemeritorum fiant operum peractores, iuxta salutarem admonitionem summi philosophorum principis Aristotelis, in De regimine principum, capitulo XVI, initio, ad Alexandrum magnum sic inquientis: O Alexander, reducas ad memoriam gesta parentum et annales patrum discute. Inde poteris multa bona exempla extrahere. Facta enim omnia preterita dant certa documenta de futuris: ut, solutis corporibus, mors non sit eis terribilis ad penam, sed salubris ad vitam, lausque eorum maneat in secula seculorum. Amen.

Est que [sic] insignis urbs imperialis Novimagensis, Coloniensis diocesis, dicto ducatui Gelrie adiacens, (de presenti per ducem Gelrie seu eius borchgravium regitur et gubernatur,) et antiquissimum fortalicium ac tutela firmissima, ab exordio suscepte salutifere fidei catholicae per almam civitatem Coloniensem, extiterit [sic] et presertim contra Frisones, illarum partium fidei catholicae immanissimos inpugnatores; ut, sicut supra firmam petram, id est fidem catholicam, fundata est sancta mater ecclesia.

Ita presens cronica super firmissimo propugnaculo, videlicet urbe
P. 3. Novimagensi, // tanquam stabili fundamento contra Christi inimicos, non inmerito pernarratur.

De cuius urbis progenitoribus ego, Wilhelmus de Berchen, rector parochialis ecclesie de Nyell Duyflie, originem traxisse dinoscor: qui ex diversis cronicis, in longum protractis, hoc presens breve compendium, Deo auspice, duxi exarandum, ne legentibus seu audientibus sit tedium, sed magis recreatio in animo generetur; cum ante hec tempora historie comitum et postea ducum Gelrie et Zutphanie, ac dicte urbis Novimagensis, hucusque hinc inde disperse fuerant: quas

magno conatu atque laborinto [sic] 1) in hoc presens volumen recollegi, ne per ignaviam cronographorum memoria tantorum virorum obnoxie perpetim oblivioni subiaceret; postulans pium lectorem, ut, non animo mordaci sed veraci, predicta gesta amplectatur, quoniam, prout ex scriptis antiquis reperi et veni premissa, calamo commendavi, ad honorem Dei omnipotentis sueque matris Marie, virginis intemerate, ac almiflui Stephani prothomartyris, patroni nostri fidelissimi, tociusque celestis curie. Amen.

Novimagium igitur ante incarnationem unigeniti Dei filii, Domini nostri Ihesu Christi, per sexaginta annos et circiter, ut ex Speculo Historiali, libro VII, colligitur, a Iulio Caio Cesare, monarcha Romanorum primo, suum sumpsit initium. Iulius itaque, ex decreto senatorum missus, Germaniam, Galliam et Britanniam ceterasque regiones circumiacentes per magnos multosque // gloriosos triumphos, P. 4.
in decennio, Romano subiecit imperio. In quarum quidem terrarum expeditione Iulius, cum per Renum descendisset, veniens ad locum quendam nemorosum, sibi placentem, palacium magnum et forte inter ceteras munitiones, ad suarum legionum refugium inibi construi precepit, nomen sibi Novimagium imponens. Pro cuius dicti confirmatione, in quibusdam reperitur codicibus de ipsius loci Novimagii origine: Quod Iulius Cesar a Romanis legatus, ad Alamanie descendens partes, in tribus locis fluminis Reni, a se invicem longe distantibus, singulas erexit deas ymagines, ad quarum honorem in eisdem locis tria edificavit presidia, nominibus ipsarum ymaginum, eis a Cesare attributis, intitulata: quarum prima, dicta Reni ymago, a qua Remaghen; secunda, Dura ymago, a qua Durmaghen; tertia vero, Nova ymago, a qua Nymaghen sive Novimagium, nomina acceperunt.

Adhuc ipsum nostrum propositum approbando quedam dicit cronica: Quod Iulius Cesar, a Roma Alamanie adveniens, recepit secum duas deas, filias dee Veneris, videlicet Drusam et Magiam, quas circa alveum Reni in diversis ponens locis, civitates sive munitiones

---

1) Pro *laborinto*, quae vox nihili est, praesto erat scribere *labyrintho* si modo sanum praeberet sensum. Quod quum dubitari possit, suspicor scribendum esse aut *labore ingenti* sive *immenso*, aut, quod propius abest, *labore intento*.

(multo

duas ab eisdem deis, a Drusa Druysburch et a Magia Novimagium nuncupatas, ad ipsarum dearum erexit honorem.

Sicque ex premissis concludendo, Novimagium a Iulio Cesare suam veram traxit originem.

Topographia igitur simul et cronographia ipsius imperialis palacii Novimagensis in hiis 1) comprehenditur metris:

Fundator Iulius Cesar castri fuit huius
P. 5. Sexaginta ciclis // circiter ante Ihesum;
Per Karolum magnum renovatur post Neomagum
Cis septingentos septuaginta ciclos;
Hoc reparavit idem Cesar primus Fredericus
M semel et C semel, L semel et semel V;
Otto comes Gelre fuit hic, hoc nomine quartus,
Hoc Novimagense vendicat imperium;
Cesare Wilhelmo super hoc feudante nepotem,
Octo quadraginta mille ducenta ferunt;
Gelre duxissa, ducis Arnoldi Katherina
Uxor, opus lapsum pulcre restaurat item.
Mille quadringentis in sexagintaque quinque
Possidet Adolphus dux genetricis opus.

Cumque Iulius apud Novimagium, per eum, ut prefertur, fundatum et in eius confinibus versaretur, quatuor de suis pro republica interemptis consulibus, videlicet Iulio, Claudio, Pudenti et Momanetie, uti deificatis hominibus, de mense Iunii, sole piante, id est intrante signum Leonis, in palacio suo Novimagensi quoddam erexit templum, in quo Iulius eosdem suosque Deos et pro republica occicos, tanquam in deorum societatem raptos, pro diis venerari solebat. Quod quidem templum postmodum, ad Karoli magni instantiam, per Leonem papam tertium, in honorem sancti Nicolai, refertur fuisse consecratum. De cuius templi erectione, in Iulio facta, metra quedam in epithaphio lapideo in introitu ipsius templi immurato sculpta,

1) Hoc loco in codice, post *hiis* ꝯ) (quod postremum non intelligo) hiatus est. Suppleri poterit aut vox *sequentibus* aut *quatuordecim*; tot enim sequuntur metra quae vocat sive versus, qui tamen uno linearum tenore scripti sunt; ut fere omnes qui mox sequentur.

ipsiusque Iulii signo sive figura Cesarea, in testimonium veritatis, inferius roborata, habentur, sub hac verborum forma:

Diis Manibus
Cesaris Iulio Claudioque
Pudenti Momanetie ex
consulibus piante Leonem
Iulius in Iunio est eius // hec P. 6.
figura Cesarea.

Cesar tandem, post victorias in Gallia, Germania et Britannia habitas, Italiam rediens, debitum sibi licet absenti consulatum a senatu Romano poposcit; sed maioribus e senatu, scilicet Marcello dictatore, Pompeio et Cathone contradicentibus, iussus fuit ipse Cesar dimissis exercitibus ad urbem Romam venire. Divisis ergo inter se Romanis, Marcus Anthonius et Publius Cassius, tribuni plebis, pro Cesare intercedentes, a parte altera, sibi contraria, de urbe expulsi, ad Cesarem pervenerunt: qui, de contradictione concivium indignatus, in Galliam reversus, Gallos atque Germanos sibi in auxilium acquisivit, in hoc quidem voluntarios, cum ipsi viderent bella ipsis referri, a quibus ipsi prius bella sustinuerant. Quorum fretus multitudine Cesar Romam tendit. Consules et Pompeius ac omnis senatus fugiens ex urbe, transeuntes in Greciam, adversus Cesarem bella instaurarunt, ubi et multi orientalium partium reges ad eorundem auxilium accesserunt. Cesar autem vacuam inveniens, se ipsum fecit dictatorem et, fracto erario, infinita pondera auri atque argenti inde tulit. Deinde ipso Cesare cum exercitu in Thessaliam, partium Grecie, transeunte, Pompeius cum maximis copiis sequebatur eundem; ibique bellum cruentissimum inter ipsos Romanorum nobilissimos et peroptimos consules est commissum: ubi gemebundum fuit videre tantas Romani exercitus copias, pro mutua sui interfectione, adversus se invicem congregatas, quas si rexisset concordia, nulli reges, nulli populi vincere potuissent. Tandem post magnam pugnam // inter se Romanorum, exercitu Pompeii totaliter P. 7.
fugiente, de parte Pompeii XV milia ceciderunt et centuriones XXXIII. Pompeius itaque fugiens, onerariam navim nactus, in Asiam properavit et inde per Tyrum et Egyptum transiit, ibique, statim ut

litus attigit, iussu regis Ptholomei adolescentis, in gratiam Cesaris victoris, occisus est. Pluribus demum preliis contra Pompeianos, consules, senatores aliosque reges et principes, de quibus longum esset enarare, in Italia, Grecia, Egypto, Hispania et aliis diversis mundi partibus, feliciter gestis, Iulius Cesar, a quo omnes postmodum Romani principes Cesares appellantur, anno creationis mundi IIMDCCCCXVI, urbis vero DCCXXII, ante incarnationem Domini anno XLII, primus apud Romanos singulare arripuit imperium, quod ipse solus per quinque fere obtinuit annos. Hic siquidem Cesar, bellis civilibus toto orbe composito, Romam reversus, reipublice statum iuxta morem maiorum clementer instaurare cupiens, contra Romane libertatis consuetudinem insolenter agere cepit. Pro sua namque voluntate honores prestabat, qui antea populo tradebantur; nec senatui quidem, ad se venienti, assurrexit. Cumque hec et alia regie dignitatis faceret, coniuratum fuit in eundem a ducentis et LX vel amplius senatoribus nobilibusque Romanis. Quodam igitur die, senatu in curia congregato, cum Cesar advenisset, insurgentibus coniuratoribus contra ipsum, XXIIII cultrîs senatoriis, dolo Bruti et Cassii consulum, confossus, in LVI etatis sue anno, ante incarnationem Domini XLVII, occiditur. Invente sunt autem
P. 8. in manu eius littere, precanentes // de coniuraçione, quas si legisset, utique cavisset. Corpusque eius pro rostris combustum est. Statuit autem populus in foro solidam columpnam marmoream XX pedum, supra quam tumulatum est corpus combustum, que Iulia vocatur. Sicque finem vite habuit vir tantus, quo nunquam alter clarior in bellis fuit. Quinquagenies namque dimicavit: eius etenim ductu undecies centena milia et XCII^{c} milia hominum cesa sunt in bellis inimicorum, preter numerum illorum, qui in bellis civilibus ceciderunt. Percussorum vero Cesaris fere neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est; dampnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prelio, nonnulli semet eodem pugione, quo Cesarem in Capitolio vulneraverant, interemerunt.

Postremo factum quoddam, omni admiratione dignissimum, de Iulio Cesare, prout suis temporibus apud Novimagum fertur accidisse, minime sub silentio preteribo. Cum enim quadam vice Iohannes, comes Clivensis, sororius Edwardi, ducis Gelrie, in nemore

imperiali Novimagensi venationi insisteret, quemdam a casu inveteratum cepit cervum, qui torquem circa collum, verbis sequentibus inscriptis, in effectu similibus a Iulio appositam, gestabat, videlicet: »Qui me capit, me dimittat; Iulius mihi gratiam fecit." Comes igitur Clivensis, hiis visis, de ipsius cervi nece plurimum contristatus, cornua eiusdem Edwardo duci pro insigniis duxit destinanda.

Nichil vero aliud de Novimagio a prenarratis temporibus usque ad tempora Karoli magni, imperatoris et Francorum regis, scriptum invenitur.

// Karolus namque Francorum rex, Christi ecclesie utilis verna- P. 9.
culus, inter cetera operum suorum insignia et mirifica, ad regni decorem et commoditatem duo palacia operis egregii 1): unum haud longe a Maguntia civitate iuxta villam, cuius vocabulum est Ingelenheym, aliud Novimagii super Wahalem fluvium, qui Batavorum insulam a parte meridiana preterfluit. Quod quidem palacium Novimagense, tunc temporis collapsum, a Iulio Cesare, ut premittitur, suum traxit fundamentum. In hoc enim palacio renovato Karolus, propter loci amenitatem, frequenter manere et sua festa atque placita celebrare solebat. Nam ipse adhuc duntaxat Francorum rex existens, anno incarnationis Dominice DCCLXXVI, post triumphum eodem anno de Italicis et Saxonibus gloriose habitum, natalem Domini in Haristallio, prope Leodium, et pascha in villa, que dicitur Novimagium, cum suis celebravit principibus.

Demum anno Domini DCCCIIII Karolus, factus Romanorum imperator, ab Aquis proficiscens, pervenit ad palacium suum, quod dicitur Novimagium. Ibi illius veris tempore persistens, inter ceteros divinos cultus, pascha celebravit, incipienteque estatis tempore ad palacium suum, quod Aquis situm est, regrediebatur.

Expost anno VI, purificacione sancte Marie, Karolus imperator, accersitis aliquantis ex suis optimatibus, episcopis videlicet, abbatibus et comitibus, divisit inter filios suos Karolum, Pippinum et Ludovicum reges, regna, sibi a Deo data. Tunc legati imperatoris discurrerunt per legationem, sibi commissam, // et dominus imperator P. 10.
navigio, quadragesimali tempore, venit Novimagium: ibique legati,

---

1) Hoc loco inserendum videtur verbum *construxit*, *edificavit* vel simile aliquod.

venientes de sua legatione, imperatori renunciaverunt. Inde iterum dominus imperator indixit placitum suum VIII kalendas Iulii, in festo sancti Iohannis, in Starcfurt.

Consequenter, anno VIII, Karolus imperator tenuit placitum suum in Novimagio, medio quadragesime, cum aliquantis suis optimatibus et tunc condixit placitum generale in Aquis, in festo sancti Iohannis Baptiste.

Hec usque per Karolum circa Novimagium acta ex Cronicis Gregorii Thuronensis sparsim sunt collecta.

Novimagium igitur, ut prefertur, illis diebus adhuc villa regalis erat, sub Francorum regum dicione constitutum, cuius palacium Iulianum collapsum Karolus renovaverat. Nullatenus ergo per eum Novimagium, cuius ipse dominus erat, consilio sancti Walarici, qui fere per ducentos annos ante ista tempora floruerat, ut a quibusdam false sompniatur, valida manu obtentum fuerat. Est tamen verum, quod Karolus monasterio ipsius sancti Walarici supra mare, Ambianensis diocesis, contemplatione cuiusdam capellani sui, de eodem monasterio
x) existentis, multa bona et possessiones in Overasselt et Hoemen, de prope Novimagium, tunc temporis contulerat, in hodiernum diem ab eodem monasterio possessas.

Hec ad presens propositum de Karolo sufficient.

Tandem Karolo, prout Deo placuit, anno incarnationis Dominice DCCCXIIII, in LXXI etatis sue anno, viam universe carnis ingresso et in
P. 11. ecclesia beate Marie Aquensi, quam fundaverat, sepulto, Ludovicus, // de dictis ipsius Karoli filiis solus superstes, factus imperator, de Yrmgarde, prima coniuge sua, Lotharium Romanorum, Pippinum Aquitanie et Ludovicum Germanie reges generaverat. Qua defuncta, in illicito coniugio ex Iudith, cognata sua, Welpi Bavarorum ducis filia, genuit Karolum Calvum, Francorum et eciam postmodum Romanorum regem. Quam quidem Iudith, reginam licet, Ludovicus imperator, ad cor conversus, ex instructione et increpatione sancti Frederici, episcopi Traiectensis, ob hoc tandem innocenter occisi, et summi pontificis Gregorii, eum desuper in propria persona de urbe Romana accedentis, ac dictorum trium filiorum suorum primorum, et aliorum utriusque status principum et prelatorum, animo penitenti, iteratis vicibus flens, repudiaverat. Illius tamen amicario depravatus, contra anime

Zie Bydr. en Meded. van Gelre VII. bl. xxviij.

sue salutem in status sancte matris ecclesie et imperialis maiestatis
scandalum et disturbacionem filiorum, recepit eandem. Pippinus
tandem, de tali coniugio multum contristatus, cum quibusdam episcopis
et regni primatibus ad hoc congregatis, patri de Aquis Compendium
proficiscenti obvians, eum de consanguinitate coniugis ac stupro ab
ipso perpetrato accusaverunt, volentes propterea patrem capere et regno
privare: sed a fratre suo Ludovico est prohibitus. Multaque eciam alia
predicti imperatori obiacientes, dixerunt Iudith reginam a quodam Ber-
nardo, ipsius imperatoris in baptismate filio, fuisse violatam. Qui eciam
Bernardus de huiusmodi stupro postmodum coram ipso imperatore
// et dictis filiis suis, Lothario et Ludovico, legitime purgavit. P. 12.
Quibus cum imperator super premissis obiectis non vellet dare re-
sponsum, sed agitando caput torvis eos inspiceret luminibus, Iudith
reginam vi rapientes velaverunt et in unum monasterium miserunt,
fratresque eius, Chonradum et Rodolphum tonsurantes, ad sua reversi
sunt loca.

Sed paucis post hec transactis temporibus, videlicet anno Domini
DCCCXXVIII, imperator, recepta sua coniuge, Novimagium palacium
adiit, captoque cum multis Iesse, Ambianensi pontifice, qui, in
cordis sui placitate ad emendationem vite, velamen regine inposuit,
in generali placito multorum principum, in ipso Novimagensi palacio
tento, de pontificatus dignitate, quod cunctis Deum timentibus dis-
plicuit, cogens ad hoc episcopos, deponere iussit; multosque alios
optimates ab honore depositos inibi custodie mandavit, et alios exilio
dampnavit. Fuit namque ad ipsum placitum Novimagense quam
maxima hominum multitudo congregata. Tunc eciam imperator a
Lothario filio suo sacramento fidelitatem exegit. Affuit et ibi equivocus
eius Ludovicus, qui adiutor patris extitit in omnibus eius laboribus.
Cumque Ludovicus imperator ipsius Iudith occasione multos ex opti-
matibus, ut prefertur, in palacio Novimagensi captivaverat et exula-
verat, demum summi pontificis Gregorii supradicti et episcoporum
atque regni procerum accedente consensu, in Lotharii et Pippini
filiorum suorum traditus est potestatem et Aquis custo // die eman- P. 13.
cipatus, ut Lotharius pro eo regnaret. Ipse tandem per Ludovicum
filium suum iuniorem forti manu redemptus et in solio regni relo-
catus: suis tamen maliciis nondum satiatus, execrabilem reginam

Iudith cum magno gaudio et honore ad se adduci fecit, ac cum ea in conviviis, citharis, lyris et tympanis resonantibus, cotidie residebat, a suo obstinato proposito diebus vite sue minime desistendo. Prout hec omnia, ex legenda sancti Frederici et cronicis excerpta, plenius continentur; quae, propter continuationem et maiorem intellectum historie dicti placiti Novimagensis, clarius duxi inserenda.

Porro de impiis Nortmannis, Novimagium invadentibus, (qui origine Dani fuerunt et lingua barbara Nortmanni, quasi septentrionales homines, dicti sunt, eo, quod primo ab ista parte mundi venerunt,) diligenter est advertendum: Quod ipsi tempore Karoli magni cum suo rege Godefrido et maxima classe transfretantes Gallie atque Germanie littora, occupantes et omnia vastantes, iam Frisiam et Saxoniam occupaverant, tocius Germanie sibi potestatem in brevi promittentes. Quorum tamen exercitus in processu per Karolum bello evictus, ac princeps eorum Godefridus, a proprio satellite interfectus, sue vite proprie et ipsius belli finem fecit. Hii etenim Nortmanni, peccatis hominum graviter exigentibus, post ipsius Karoli obitum, sub filio eius Ludovico, Romanorum imperatore, a transmarinis partibus, ad quas confugerant, cum innumerabili hominum multitudine revenientes, totam fere Galliam, Angliam, Britanniam, Aquitaniam, Flandriam, Lothryngiam, Brabantiam,
P. 14. Frisiam, // Saxoniam ceterasque diversas mundi partes et provincias, pluribus bellis et triumphis dire pervagantur igneque ferroque devastando et consumunt, cedem hominum non modicam in eisdem partibus pluribus annis perpetrando. Demum Hollandie partibus applicantes, Traiectum ac omnes Hollandie partes funditus destruxerunt, populumque cum clero effugantes occiderunt, parvulis et mulieribus per eosdem ad partes exteras abductis.

Interea quidam Hungerus, episcopus Traiectensis, cum paucis canonicis ad monasterium Prumense aufugit, et ibi a Ludovici filio, Lothario primo, et ipsius filio Ludovico II locum montis Odilie, prope Ruremundam, ducatus Gelrie, impetravit, quatenus ipse et sui canonici ibidem ab incursu Danorum quiete residerent, divinum cultum devotissime celebrando. Quo in loco collegium canonicorum ad honorem sancte Odilie fuit erectum; quod posteris temporibus, sub Wilhelmo, duce Gelrie, ob gravem obsidionem civitatis Rure-

mundensis a Brabantinis, Leodiensibus et Gallicis, ut inferius loco suo patebit, factam, infra ipsius civitatis muros, ad ecclesiam sancti Spiritus est translatum: cuius prepositura, ratione premissorum, dignitas in ecclesia Traiectensi ab antiquo tempore esse perhibetur.

Insuper dira Nortmannorum gens, anno Domini VIII^cLXXV, Karolo II, Ludovici pii filio, regnante, cum ducibus suis Godefrido, Sygefrido, Rollone, Gellone et aliis primatibus, Walam fluvium ingressi, totam Bathuam, ducatus Gelrie, palatium eciam Neomagi incendunt. Exinde Renum // et Mosam ascendentes, Coloniam, Bonnam, P. 15.
Maguntiam, Wormatiam, Tulpetum, Iuliacum, Aquas, Leodium, Traiectum, Ardenniam, Treverim, Tungrim, sancti Trudonis, Prumiam, Metas ceterasque innumerabiles Germanie civitates, provincias, monasteria, opida et castella, eodem tempore percurrendo, igne et ferro inmaniter vastando, depopularunt. Contra quos Ludovicus, Germanie rex, dicti Karoli II germanus, validum ducens exercitum, de regno demum expulit eos. Ipsi tamen perfidi Nortmanni, post tantarum civitatum et partium Germanie vastationem hominumque stragem, in Christianitate perpetratam, Alamaniam inferiorem repetentes, anno Domini VIII^cLXXIX in Novimagio hiemarunt. Contra quos Ludovicus, Germanie rex, bellice veniens et ipsos expugnare nequiens, turpiter est reversus. Cum eciam Karolus III, dicti Ludovici regis filius, qui Karolo II avunculo in imperio successerat, dictos grassatores, prout nec sui predecessores, bellis crudelibus superare minime valuerunt; tandem Godefridus, Nortmannorum rex, ad interloquendum de pace perductus, hac condicione Christianus effectus est: Ut Ghisela, Lotharii II regis filia, sibi daretur in uxorem, provinciaque Frisie insuper sibi daretur in dotem. Quod et factum est. Et exinde idem Godefridus rex Frisones, sibi rebellantes, redegit in vile servitutis improperium, ita quod omnes Frisones collo circumastrictum baiularent laqueum ut unumquemque sine mora suspenderet, qui sibi quovismodo re // bellare presumeretur. P. 16.
Sed ecce, iam dictus rex Godefridus, post quedam annorum curricula, cum infinitis Danis in Bathua, pridem per eos, ut premittitur, vastata, Deo vindicante, a Christianis peremptus est. Sygefridus vero ipsius socius, a dicto Karolo III Romanorum et Karolo-

manno, fratre eius, Francorum regibus nimis muneratus, inde secedens cum suis, mare repetiit. Rollo autem, cum ipsius Karoli filia accepta tota Neustria, sive regione ultra Secanam fluvium, que Parisiis adiacet, usque hodie a Nortmannis Normannia dicta, perque Franconem, archiepiscopum Rothomagensem, baptisatus, Robertus nominatus est, et per eundem Karolum regem de sacro fonte levatus. Gellonique, ipsius Rollonis cognato, similiter baptisato, idem rex Karolus montem Blesensem cum suis attinentiis tradidit. In quo castrum edificans, ibidem habitavit; a quo comites Blesenses, sicuti a Rollone ipsius cognato duces Normannie, processerunt.

Residui vero Nortmannorum exercitus, adhuc in Bavaria, Ardennia et aliis mundi partibus tyrannisantium, posteris temporibus, per Arnulphum imperatorem, dicti Karolomanni Francorum regis filium, mirabili cede finaliter sunt deleti et mare coacti pertransire. Et sic, Deo miserante, cessare cepit iugum Nortmannorum, quod iam quadraginta annis et amplius Galliam et Germaniam pirato more continue infestabat.

Premissis igitur, propter continuationem historie, de Nortmannis superficialiter discussis, rursum est sciendum, quod tempore Karoli
P. 17. // Calvi sive secundi supradicti, nobilis comitatus Flandrie exordium sumpsit. Flandria enim eo tempore non erat tanti nominis nec fame nec opulentie, ut extunc in antea esse cepit, sed a regum Francorum forestariis regebatur. Quorum Lidricus Barlebarensis, et Nigerlandus filius eius, et Audacer filius Nigerlandi, sub Pippino et Karolo magno et Ludovico, rectores Flandrie fuerunt, nec tamen comites vocati sunt. Balduwinus autem, filius Audacri, rapuit Iudith, filiam Karoli: propter quod, ex precepto Karoli Calvi, episcoporum consensu, ab omni ecclesia excommunicatus est. Deinde, episcoporum et optimatum consilio, Karolus, Balduwino et Iudith reconciliatus, dedit eis Flandriam in comitatum ac suis heredibus inperpetuum possidendam.

Idem eciam Karolus Calvus, cum adhuc Francorum rex existeret, anno Domini VIII^C^LXIII, regni sui XXX, percipiens Hollandiam a Nortmannis omnino esse depopulatam, ad instantiam Haganonis comitis, tradidit Theoderico, nobili viro, fratri Waltgheri principis, comitatum Hollandie cum ceteris provinciis adiacentibus. Et factus est

hic Theodericus primus Hollandie comes. Hic autem frater eius, Waltgherus princeps et comes Thesbaut [sic], moram traxit apud Tylam. Habueruntque ipsi fratres avunculum Haganonem Troyanum, qui in Xanctis, que minor Troya dicitur, moram traxit, et descenderunt de Troya, diu ante destructa.

Hic etiam Waltgherus in transactis temporibus apud Tylam honestam ecclesiam ad honorem sancte Walburgis // construxit, in P. 18. qua sancte moniales longo tempore servitio divino mancipate sunt. Postea autem ecclesia ipsa destructa et tandem reformata semotisque monialibus, canonici regulares constituti sunt: qui usque ad tempora Henrici III et Adelboldi, episcopi Traiectensis, Deo humiliter servierunt. Hii demum canonici cum eorum capitulo, anno Domini MCCCXXVIII, in die sanctorum Petri et Pauli apostolorum, tempore Reynaldi, comitis et primi ducis Gelrie, ab opido Tilensi, tunc diocesis Brabantie, violenter profugati, ad opidum Arnhemense, comitatus Gelrie, perpetuo permansuri, ut inferius patebit, se transtulerunt.

Rursum de insigni palacio Novimagensi supradicto, circa cuius versamur propositum, Helyrnandus historiographus, monachus Fre-[gidi] montis, ordinis Cisterciensis, Veluacensis diocesis, qui cronicam diligenter ab initio mundi usque ad tempus suum, sub Ottone IV, in quodam maximo volumine digessit, libro IV suarum historiarum, quoddam notabile factum, omni admiratione dignum, hoc, qui sequitur, recitat modo: Quod in diocesi Coloniensi est famosum palacium, fluvio supereminens, quod dicitur Novimagium: in quo pluribus olim congregatis principibus, ex improviso advenerat navicula, quam collo alligatam cygnus argentea trahebat cathena. Exinde iuvenis quidam novus et incognitus, miles pulcherrimus, magnus sicut gigas, exiliit, qui, accipiens uxorem, filios procreavit et adhuc usque hodie sua progenies perseverat.

Excellit eciam ipsa nostra imperialis Novimagensis civitas, // de P. 19. qua nobis ad presens est sermo, plurimorum Romanorum regum et imperatorum (presertim: Henrici septimi, lantgravii Thuringie, filii sancte Elisabeth, Ricardi, ducis Cornubie, fratris Henrici, regis Anglie, Rudolphi, comitis Hapsburgensis, Alberti II, ducis Austrie, ipsius Rudolphi filii, Ludovici IV, ducis Bavarie, Karoli IV, regis

Bohemie, et Frederici IV, Austrie ducis,) gratiis et privilegiis, ad imperii utilitatem et honorem, pretiose decorata, cunctas nostre regionis civitates et loca. Nam iidem reges et imperatores, de eis innata regia benignitate, uti ex ipsorum luculenter patet litteris desuper concessis, magistris civium, scabinis, consulibus ac aliis civibus civitatis Novimagensis, sacri imperii fidelibus, heredibus et successoribus ipsorum inperpetuum omnia, iura, consuetudines, libertates, emunitates, gratias, privilegia et litteras cuiuscunque tenoris existant, aut sub quacunque verborum forma concepta, que et quas scabini, consulatus, civium magistratus ceterique cives regalis sedis Aquensis et aliarum civitatum imperii ab eisdem regibus et imperatoribus obtinuisse noscuntur: ac eciam consuetudines approbatas et laudabiles, quibus dicti cives eorum Novimagenses hactenus freti sunt et utuntur, in omnibus suis tenoribus, capitulis, sentenciis et actis, et sicut eisdem civibus gratiis, libertatibus, consuetudinibus, emunitatibus, privilegiis et litteris hactenus usi sunt et cotidie
P. 20. pociuntur, ex certa eorum sententia, de plenitudine // cesaree potestatis, concesserunt, approbarunt, ratificaverunt et de solita eorum celsitudinis gratia confirmarunt; adiicientes nicholominus, ex singulari dono gratie specialis, quod liceat eisdem civibus Novimagensibus, ad instar regalis civitatis Aquensis, cum universis et singulis quibuscunque rebus, bonis et mercibus suis, cuiuscunque valoris seu condicionis existant, per terram sive per aquam ubique per totum regnum sive Romanum imperium, absque omni exactione theolonii, pedagii, carradie, vectigalis, gabelle, reveredibentie seu cuiusvis alterius dacii, quibuscunque specialibus nominibus exprimantur, libere et absque impedimento transire; inhibentes igitur universis et singulis sacri imperii fidelibus, presentibus et futuris, sub obtentu gratie ipsorum, ne ausu temerario dictos cives Novimagenses, ubicunque locorum cum rebus suis se transtulerint, adversus eorum concessionis, donacionis et confirmacionis gratiam gravare vel molestare presumant, aut ab ipsis vel ipsorum servitoribus de bonis, rebus et mercibus ipsorum in regno vel imperio theolonia, pedagia, carradias, vectigalia seu dacia, quibuscunque exprimantur nominibus, quovis ingenio seu colore quesito, aliquo modo postulare; non obstantibus quibuscunque privilegiis, constitutionibus, libertatibus,

consuetndinibus: seu indultis ab ipsis regibus et imperatoribus quibuscunque personis, quacunque eciam dignitate prefulgeant, seu cuiuscunque gradus vel condicionis existerent, datis et concessis, dandis et concedendis in contrarium. Quibus omnibus si et in quantum presenti dona // tioni et confirmationi adversari noscun- P. 21.
tur, auctoritate cesarea et de certis eorum scientiis derogarunt. Si quis ausu vero temerario dictos cives Novimagenses, fideles eorum heredes et successores eorum inperpetuum, gravare seu molestare, vel ipsis aut servitoribus ipsorum de rebus, mercibus et bonis ipsorum theolonia, pedagia et alia, que superius expressa sunt, aliquo modo postulare presumpserit, post imperialis indignacionis aculeos, penam centum librarum auri puri et optimi se noverit incidisse: quarum medietatem imperialis eorum camere et reliquam partem iniuriarum passorum usibus, Karolus quartus predictus, qui hoc ipsum privilegium sub bulla eius aurea lacius extendit, in concessione et confirmacione sua decrevit applicandam. Ipsosque insuper Novimagenses, Clivenses et Montenses comites in huiusmodi privilegiorum suorum executores deputavit.

Sed ultra premissa, Fredericus imperator prelibatus, auctoritate Romana regia predicta statuit, concessit et ordinavit: Quod dilecti et fideles sui cives Novimagenses, sibi et imperio specialiter attinentes, ad nullius, cuiuscunque status, gradus, condicionis, vel preeminentie fuerit, instantiam ad iudicium curie regalis seu imperialis, vel ad alia iudicia sua, qualitercunque fuerint, vel ex concessione debeant evocari; et, si inanimadvertenter fuerint evocati, ad iudicium tamen Novimagense remissi censeantur. Irritumque decrevit, si quid, pretextu evocacionis huiusmodi, pro tempore // P. 22.
contigerit attemptatum, nisi conquerentibus per iudicem et scabinos Novimagenses iustitia fuerit denegata. Quodque predicta a predecessoribus suis ducatui Gelrie impignorati, per participacionem commercium seu communionem habendo cum aliis, qualitercunque imperiali banno submissis, quos commode vitare non possunt, bannum imperiale seu regale non incurrant. Ceterum sicut aliquando contingit, quod mercatores seu alii in ducatu Gelrie per maleficos bonis suis depredantur, quod ob hoc Novimagenses, si et in quantum consilium, auxilium seu favorem non prestiterint, arrestari, occupari,

molestari seu pignorari per quoscunque non debeant quovismodo. Et hoc presens indultum infringentem, ultra penas in privilegiis eorum contentas, penam quinquaginta marcarum auri puri, tociens quociens contrafactum fuerit, se irremissibiliter incursurum: quarum medietatem regali suo erario, residuam vero partem iniuriarum passorum usibus voluit et decrevit applicari. In huiusmodi privilegii, per dictum Fredericum imperatorem Novimagensibus concessi, et postmodum per papam Pium secundum auctoritate apostolica sub censuris ecclesiasticis confirmati, archiepiscopus Coloniensis, abbas insule beate Marie et decanus Traiectensis, executores sunt deputati.

Sciendum est quod tempore, quo nemus imperiale Novimagense undique arboribus et virgultis et arbustis usque Novimagium densum et tenebrosum esset, (nunc vero per Clivenses et Gelrie duces ubilibet clarum et illuminosum effectum), prout ex antiquis cernitur scriptis,
P. 23. apud castrum de Hoemen reser//vatis, cives Novimagenses ex iure suo habebant, prout haberent, auctoritatem secandi omnia arida ligna et quelibet virida, que per unam manum flectere possent et in tertio ictu prosternere, extra libertatem pacis, banni et keymeruorst [sic]; preterea omnes ramos, quos stantes in stabello currus sui attingere poterunt: si vero super rotam currus sui ascenderint, pro banno quinque marcarum poterunt pignerari. Propter quod ius predictum, cives Novimagenses universi, tam divites quam pauperes, dare tenentur forestariis de suis laribus tres denarios leves, singulis annis in die Servatii, que est de medio Maii. Amplius curtes et membra imperii Novimagensis, uti in pretactis et diversis aliis veris ab antiquo invenitur scriptis, fuerunt, prout adhuc de iure existunt. Hec sunt: Scabinatus Novimagensis cum tota eius parochia, videlicet Ubberghen, Persynghen, Werchen, Oy pro parte, quondam filia ecclesie Novimagensis, Wurde, Heze, Nederbosche ac certa alia villagia et burscapia; insupcr Groysbeeck cum universo nemore imperiali, Moudyck, Middeleer, Asselt superior cum tota parochia, Wychen, Nyftricht, Bonynghen, Ewich, Wynsen pro parte, Horssen pro parte cum ecclesia ibidem, Lent et Herwen in Bathua, Rynharen, nunc Rieneren, sancti Willibrordi prope Clivis, et curtis sancti Quintini ibidem. Quamvis eciam ipsum imperium Novimagense per certos quondam Gelrie principes, in quibusdam prescriptis suis membris,

in quorundam favorem sit attenuatum ac secundum quosdam de illis contra ipsum imperium // prescriptum, hoc nullo iure subsistere P. 24.
potest, cum nullum feodum et maxime imperiale, cuiusmodi est Novimagense, ad manus principum Gelrie inpigneratum, preter et absque consensu atque approbacione domini sui, dimembrari detur neque prescribi, secundum iura et leges, cum contra Romanum imperium nullo unquam tempore cadit prescriptio. Cum vero, secundum aliquos, territorium Duflie et Zeflica cum suis attinenciis de imperio Novimagensi fuisse ferantur, hoc stare non videtur, eo, quod pristinis temporibus comites Zutphanienses, ante edificacionem civitatis et collegii Zutphaniensis, comites de Zeelem dicebantur; de quorum genere quidam, dictus Baldricus comes, instituit castrum Zeelem inter Nyel et Meer Duflie: de cuius prosapia certos comites de Zeelem, videlicet Theodericum comitem eiusque fratres Alardum et Gerardum, cum eorum posteritate, tam masculini quam feminini generis, cuidam antiquissimo missali ecclesie de Meer in eorum memoriam vidi inscriptos. Dictus vero Baldricus, comes de Zeelem, tandem, deiecto dicto suo castro de Zeelem cum ipsius lapidibus, erexit monasterium monachorum, ordinis sancti Benedicti, nunc vero canonicorum secularium Zeeflicensium, quod amplissimis fundavit et dotavit redditibus. Sicque Duflia cum Zeeflica dicionis comitum Zutphaniensium fuisse videntur, licet nunc Duflia ad Gelrie, et Zeeflica ad Clivis accesserint principatus.

De recommendatione inquam imperialis civitatis sive urbis Novimagensis, per magistrum Laurentium, phisicum, hec sunt metra verbotenus:

// Sunt Novimagenses solares, martinienses. P. 25.
Et Veneris gentes, leopardum conspicientes.
Est urbs regalis, urbs nobilis, imperialis:
Huic pars australis mons est, vallis borealis;
Urbs nimis et grata, pulchris stratis graduata,
Edibus ornata, pluraliter est populata.
Hinc nemus et pratum, bonus aër, rus bene satum,
Illi classatum rivus dat largifluatum.

Astat ei gratum castrum, bene fortificatum, (1)
A Iulio stratum, Karolo magno reparatum.
In muris, portis, fossis decoratur et hortis.
Gens inibi fortis, animosa boneque cohortis,
Gens proba, subtilis, formosa, decens et herilis,
Armis hostilis, in bellis posse virilis.
Et pulcrum, clarum genus est ibi laude gamarum,
Nempe Dyana parum superat virtute suarum.
Sunt convivales, hilares, ibi valde sodales.
Nocte, die, quales tu vis, reperis ibi tales.
Suspicio mesta retro, murmura nulla molesta.
Sunt ibi nec gesta probra, sed sunt semper honesta.
Urbs collaudatur, quia digne parochiatur;
~~Christus~~ honoratur ibi celitus et veneratur.
Ipsa Iohannitis, Franciscitis, Iacobitis,
Canonicis ritis monialibus aucta bagutis.
Bathua confinis sibi subiacet, afflua, pinguis
Frugibus et rivis, pia fructibus et pecorinis.
P. 26. // Urbs fortunata sit prospera, laudifluata,
Pesteque mundata, sit ab omni Ve resecata.

Insuper pro principalis nostri propositi deductione, de nobili principatu Gelrie et eius origine, prout scrîptum invenitur, est advertendum: Quod principatus Gelrie ab inclitis dominis de Pont nuncupatis, prope civitatem Gelrie quondam commorantibus, suum traxit initium. Nec tanti nominis erat sicut nunc est; sed duntaxat a prefectis regebatur. Et sicut ipsi domini, successu temporis segnitiem ignaviamque deponentes, vetustum nomen de Pont exuerunt, ita strennuitatem assumentes, nomine novo Gelrie appellari meruerunt. Hii ergo, bellicosi principes ac invictissimi bellatores effecti, sicut amicis, fidem et gratiam eis conservantes ac eis confederantes, fidelissimi defensores extiterunt, ita eciam inimicos suos ac eis adversantes fortissime impugnantes, victoriose de eis triumpharunt. Unde hiis preclaris ex gestis ac magnificenciis gloriosis terram suam

(1) Pontanus, ubi hoc carmen memorat p. 30. mutata hic illic lectione, omisit versum nonum *Astat ei gratum* cet.

ex inope divitem, ex parva latam, ex ignobili nobilem et inclitam reddiderunt; siquidem a Deo, qui vocat ea, que non sunt, et mutat tempora et transfert regna, creberrimas victorias habentes, prosperis successibus ac mundi rebus nimium fortunati, terminos suos amplissime dilataverunt. Quapropter vicini barones ac principes, has eorum militares strennuitates assidue audientes, eis indissolubili amicicie vinculo ac fidelitatis iure confederati sunt. Qui quidem homagia eis prestantes, eorum liberi // vasalli effecti sunt. Alii P. 27. vero obsequiis variisque serviciis eos inflectentes ac largis stipendiis eos conducentes, opem eorum impetrarunt. Unde tandem virtutum meritis laudumque eorum preconiis magnifice deposcentibus, per Romanorum imperatores in Gelrie comites et duces existunt sublimati.

Per quem tamen modum Gelrie principes originaliter creverunt et gradatim ascenderunt, secundum quosdam, breviter subiungam.

Erat namque pristinis temporibus in eo loco, quo opidum et castrum Gelrie ad presens consistere dinoscitur, ac in paludibus et confinibus eiusdem, quoddam animal pestiferum, Gelre, Gelre, clamitans, homines et animalia horribiliter invadendo devastans: ob cuius terrorem incole apud edes alienas se recipere disponebant, nisi, divina favente gratia, de remedio providerentur oportuno. Quidam tandem nobilis heres curtis de Pont, prope Gelriam, a dicto animali multa perpessus dampna, duos imperterritos habebat filios, qui, patris ipsorum accedente consilio, ipsum animal nocturno tempore armati inquirentes, per lumen oculorum cognoscentes, in Dei nomine aggrediendo, decertarunt; et sic regionem suam ab huiusmodi venenosi animalis infestacione viriliter liberarunt. Ipsorum igitur magnaliorum intuitu, ipsi duo fratres, ab universis illius regionis incolis in eorum principes electi, prefecti Gelrie sunt nominati. Unde ipsi fratres, sic in prefectos sublimati, postmodum in eodem loco, quo dictum animal devictum fuerat, presidium sive munitionem instituentes, iuxta ipsius animalis vocabulum, Gelriam in memoriale // sempiternum nuncuparunt. A quo universum P. 28. ducatus Gelrie dominium initialiter suum sortitum est nomen. Ipsi etenim principes, multis decursis temporibus, comites Gelrie et Zutphanie simul dicti sunt. Nam in libris feodalibus Traiectensis ecclesie apertissime invenitur: Quod anno Domini millesimo octavo,

Zutphanie comitatus, Gelrie comitatui iam pridem unitus, comites Gelrie, Adelboldo Traiectensi episcopo, coram serenissimo imperatore Henrico secundo ac aliis regni principibus, in Tulpeto fidelitatem et homagia prestantes, feoda sua de comitatu Zutphanie ac Tyelreweert et Bomelreweert ab eodem acceperunt.

Interea sciendum est, quod prefati Gelrie et Zutphanie comites antiquitus pro armis suis, usque ad tempora Ottonis tercii, aureum florem esculinum in prato blaveo deferre consueverunt. Inde in hodiernum diem Gelrie flos denominata existit. Usque postmodum Otto predictus, defuncto patre suo Gerardo, factus comes, huiusmodi prioribus armis Gelrie postpositis, arma illustrium comitum de Nassawia, de quibus paternum duxerat genus, videlicet in prato blaveo leonem aureum hastulatum, absque tamen corona et duplici cauda, primus inter Gelrie principes, imperatoris ad hoc accedente auctoritate, pro armis ducere incepit. Que quidem arma depost, Reynaldo secundo, comite Gelrie, Francfordie per Ludovicum quartum, Romanorum imperatorem, in solempni curia principum, ad ducatus fastigium sublimato, ad dictorum comitum de
P. 29 Nassawia differentiam, sunt mutata. // Nam deinceps ipse Reynaldus, factus dux, suique successores in prato blaveo aureum leonem absque hastulis coronamque in capite gestantem et cauda duplicata, per dorsum incurvata, pro armis ducatus Gelrie usque in presens usi sunt. Comites tamen Zutphanie, ut ab antiquo invenitur, suis in diebus, simplicem leonem rubicundum in prato blaveo pro armis gestare consueverunt.

Verum, quod de preclaris priorum Gelrie principum gestis ac magnificenciis, propter antiquitatem temporis, usque ad Megengaudum, comitem Gelrie, nichil aut parum in cronicis scriptum invenitur. Nimirum fortasse pro eo, quod eorum gesta cronographorum ignavia minus digne pretermisit atque minus lucide pro futuris generationibus adnotavit. Quorum tamen principum Gelrie nomina et gesta in diversis terrarum cronicis recolligere potui, huic operi, iuxta ordinem temporum, duxi inserenda.

Megengosus, comes Gelrie, illustris sapientia, nobilitate, divitiis, exceptoque regimine et prenomine regni, ut rex, temporibus Ot-

tonis III et Henrici II, Romanorum imperatoris, magnus inter principes habebatur. Uxor eius, Gerbirgis nuncupata, aeque illi nobilissimo germine propagata, filia extitit ducis cuiusdam, nomine Godefridi, tunc temporis magni et incomparabilis viri. (1) Hii vero duo, tantis mundane glorie nitentes splendoribus, studebant eciam ante Deum fulgere variis virtutum floribus, et ideo, ad augmentum tanti honoris, donati sunt adeptione unius mascule prolis, // cui P. 30.
humanitus, imperio avi, nominis et divinitus collata est dignitas eiusdem virtutis et ominis. Quatuor eciam filias genuerunt, quarum binas spe prosperitatis nuptu tradiderunt: que ambe et maritali potencia et omnium bonorum ac diviciarum illustres extiterunt affluencia. Ex quibus una, nomine Irintrudis, avia erat Henrici, magnifici ducis, et Alberonis, Metensis episcopi, et Frederici, ducis, fratrumque suorum huius temporis virorum. Altera vero, Alveradis nominata, similiter preclaris sue posteritatis incrementis erat donata. Relique bine Colonie sunt mancipate servituti vel legi divine: una in monasterio sancte Dei genitricis, perpetue virginis, que tanta promovebatur industria morum omnique observancia regularis imperii, ut digne constitueretur domina et mater illius monasterii; alia eciam, sancta Adelheidis, in monasterio sanctarum XI milium Virginum, subiit suave iugum Domini, secundum regularem institutionem sancti patris Ironimi.

Interim Godefridus, frater eius, cum processisset in robur virile essetque elegancie, proficuitatis ac strennuitatis mire, imperatorem Bohemos cum exercitu adeuntem est comitatus, honorifice suorum milicia omnique bellico apparatu heriliter stipatus: ubi, factus belligerator insignis et fortis, meruit excipere victoriam gloriose mortis. Cuius cadaver a suis, licet multo laborum ac meroris sudore, tamen ad patriam reductum est cum honore. Omnium igitur rerum, que, huic filio defuncto, ratione distribucionis serie ceciderunt, // Deum heredem fecerunt, ut meliori recompensacione P. 31.
hereditatem meruisset in paradiso diviciarum, qui, matura morte preventus, caruit in hac valle lacrimarum.

---

1) Ad haec verba in margine Codicis manus recentior scripsit: *Hoc tempore Godefridus comes Ardennie et dux Lotharingie erat.*

Tunc in loco, qui Vilika dicitur, templum honorabile Domîno erexerunt a fundamentis, illud dotantes prediorum vel mancipiorum supplementis. Amboque, adhuc incolumes et sani, decreverunt propter Christum disiungi a lege coniugali, quibus meliori tamen coniunctione spiritus et equali cepti operis colligatis cura erat, cor unum et anima una. Ille eciam propter frequenciam suorum et exterorum, que illi et regi semper ingruebat, quasi specietenus mundo inserviebat, predia sua lustrando et presidendo, Christi gratia mediante, omnia prudenter ac iuste disponendo: si quando vero, populo paululum remoto, aliqua quietis invenit ocia, hec vertere studuit in honesta negocia, allocucione usus capellanorum, ut per eos Teutonice exponerentur lectiones voluminum divinorum, quas ardenter audire expetentes, opere impleverunt. Tunc divini amoris igne intrinsecus tacti, in predicto loco de Vilika, adunata virginum sodalitate, a quibus divina excolerentur servicia, filiam suam Adelheidem, a dicto monasterio sanctarum Virginum redimentes prediis, tradiderunt illi curam regiminis.

Preterea comitissa Gelrie Gerbirgis, dicto monasterio in omnibus neccessariis consummato, ut per duos imperatores predictos, scilicet Ottonem tertium et Henricum II, a quibusvis superiorum serviciis gratiose libertato, perseverancia catholice fidei omnique bonorum
P. 32. operum, Domino veniente // vigilans inventa, ipso vocante, est humanis exempta.

Tunc matre orbata, nobilissima proles, sancta Adelheidis, ad Deum, quem a primeva etate dilexit ardentibus, suos convertit mores, mutatoque habitu canonicarum secularium regulam et habitum monastice discipline sancti Benedicti, ad quam parentes eam pridem invitabant, reassumpsit, virginesque, sibi commissas, secundum eandem regulam vivere induxit.

Demum Megengosus, Gelrie comes, post obitum Gerbirgis, coniugis sue, supervixit trium annorum spacia; adauctus in omni bono, sancti Spiritus gratia ad celestia tendens, sapientia et iustitia duce, Domino vocante, in loco, qui Gelria dicitur, migravit ex hac luce, ab Eo coronandus procul dubio, pro quo hic legitime certavit pervigili studio.

Eadem vero nocte sui obitus, beate filie sue Aleidi, in stratu

quiescenti, et, ut ipsa asseruit, nec aperte vigilanti, nec integre dormienti, visus est quidam astitisse eiusque auribus dulciter cantando hec verba profete infudisse: »Ecce, quomodo moritur iustus, et nemo percipit corde; viri iusti tolluntur, et nemo considerat; a facie iniquitatis sublatus est iustus, et erit in pace memoria eius." Cumque facto mane hanc visionem sororibus venisset nunciare, nondum completo sermone, nuncius superveniens eum ex hoc seculo migrasse nunçiavit.

Cuius exequiis a filia peractis, studio religiosi apparatus in proprio monasterio, una cum coniuge, est honorifice sepulture mandatus. Qui postmodum in sompnis apparuit cuidam sororum illius monasterii, quasi honorificatus potentia et decore regalis imperii. // Quem diutius intuita cum miraretur, et an ipse esset dominus P. 33.
Megengosus percunctaretur, ille responsione tali hilariter illam cepit affari: »Hoc mihi nomen erat, adhuc corporali mole gravato, nunc vero Megengaudus, vocabulo in melius mutato, quia, absolutus vinculis peccatorum, gaudio perhenni fruor, in consorcio patriarcharum et omnium beatorum."

Hec omnia de beato Megengaudo, comite Gelrie, hucusque scripta, ex legenda filie sue, sancte Adelheidis virginis eximie, cuius festum in die beate Agathe ab ecclesia celebratur, diligenter sunt excerpta.

Quis vero prefato Megengoso, comiti Gelrie, absque prole masculini generis, ut prefertur, defuncto, immediate successerit, penitus ignoratur.

Insuper anno Domini DCCCCLXXXV, indictione XIII, dicti Megengosi temporibus, Otto III, Romanorum imperator, anno regni sui secundo, in Novimagio constitutus, interventu Egberti, archiepiscopi Treverensis, avunculi sui, Henrici, ducis Bavarie, nepotis sui, atque Theophane imperatricis, genitricis sue, concessit Theoderico, comiti Hollandie secundo, in propriam hereditatem, quicquid habuerunt antecessores sui in comitatu Hollandie in beneficio a Romano imperio largitum. Fuit enim dicta Theophana imperatrix, filia Theophani, Grecorum imperatoris, cuius sororem Luytgardam Arnulphus, comes Hollandie tercius, coram dicto Ottone imperatore, desponsavit in uxorem.

Megengaud en Megengos zijn gebruikelijke vormen van denzelfden naam. Namen op gaud uitgaande worden voortdurend aangetroffen met den vorm gos of goz.

Ipsaque tandem Theophana imperatrix, anno ab incarnacione
Domini DCCCCXC, in Novimagio, ubi morari erat solita, infirmatur;
consummatoque in bonis cursu vite sue, discessit ab hac vita XVII
P. 34. // kalendas Iulii. Sepulta vero est ab Evergero, Coloniensis ecclesie
archiepiscopo, in monasterio Sancti Panthaleonis, (quod, datis im-
pensis, Bruno, archipresul Coloniensis, frater Ottonis primi, ibi
requiescens, construi precepit), presente Ottone III, filio suo, ac
multa pro remedio matris anime hiis fratribus largiente.

Huiusmodi siquidem temporibus, comicia de Marka, sub Ottone III
hoc modo habuit ortum: Duo namque fratres nobiles Romani, de
genere Ursinorum, divites valde, per imperatorem ad Westphaleam
perducuntur; cuius freti auxilio et favore, uti divites erant valde,
loca tuta pro instituenda habitacione inquirunt et inveniunt. Unus
ex illis Adolphus senior fundat castrum in monte, Wolvesegge ab
incolis dicto, in terminis comitis de Arusberge. Qui percipiens
edificare eos, hortatus est ut desisterent, dicens: »Nimis est prope
terminis nostris." Et ob hoc dictum est ab edificantibus Altena,
id est Latine: Nimis prope. Cumque comes niteretur obsidione eos
repellere a loco, pre loci fortitudine destitit. Et sic comites de
Altena exinde dicti sunt, alia bona ad castrum comparantes victoriis
et divitiis. Posteris tamen temporibus Adolphus quintus, comes de
Altena, comparans a Rabadone, milite, castrum de Marka, mutato
nomine de Altena, quod germanus suus Fredericus, comes de Ysen-
borch, interficiendo nepotem suum Engelbertum, archiepiscopum
Coloniensem, de quo infra audietur, deturpaverat, non de Altena,
sed comitem de Marka cum suis successoribus se nominavit. Alter
eciam frater, Everhardus dictus, edificavit castrum Aldenberge
. 35. // in terra Montensi, prope Coloniam ad duo miliaria situm, et
illius terre comes est effectus. Sicque ab hiis duobus fratribus,
Adolpho et Everhardo, due spectabiles comicie originantur, scilicet
Markensis et Montensis.

Preterea, prout ex cronicis Saxonum et Cosmidromio, libro sive
etate VI, capitulo LII, describitur: Anno scilicet Domini MXVIII,
imperii Henrici II, qui dicto Ottoni successerat, anno IIII, mense
Martii, XVII kalendas Aprilis, magna fit synodus in Novimagio,
ubi ipse Henricus imperator fuit presens; et in eadem, perspectis

sacramentariis antiquis, statutum fuit: Ut corpus Dominicum ad sinistram et calix ad dextram sacerdotis poneretur in missa. Et ratio librorum antiquorum, qui apud nos sunt, hec est: Quum pars crucis erecta, cuius signum tunc fit, super panem et corpus Christi sustentavit, et quod pars crucis transversa brachia Christi descendit, merito calix, quasi sanguinem de manibus Christi suscepturus, sub brachiis pariter designatur. Cui quidem synodo sive concilio Novimagensi, ut ex vita Meinverci, episcopi Padeburnensis, colligitur, inter ceteros prelatos inibi congregatos interfuerunt Poppo Treverensis, et Erkenbaldus Maguntinensis, archiepiscopi, Everhardus Bavenburgensis, Adelboldus Traiectensis et dictus Meinvercus Padeburnensis, ecclesiarum episcopi, Poppo, abbas Roldensis, Godefridus et Bernardus, duces, ac Betelinis, comes. Erat in tempore dicti synodi imperatrix Conegundis, filia namque comitis Lutzenburgensis, apud ipsum imperatorem, suum maritum, Novimagii constituta.

Cesar vero Henricus, omnibus peractis, post longam habitacionem // P. 36.
a Novimagio discedens, solempnes dies Rogationum Aquisgrani studiose celebravit. Ipse namque Henricus imperator dictum Meinvercum, nepotem et capellanum suum regium, ex nobili comite de Rechem, partium Velue, Imed et Adthela, nobilis generis Saxonice genitum, Padeburnensi ecclesie prefecerat in episcopum. Qui, sanctis operibus plenus, post obitum parentum suorum, instituens solempne monasterium, ordinis sancti Benedicti, in Padeburno, pluribus possessionibus comitatus de Rechem hereditavit. Fuit enim ipsi Meinverco germanus senior, Thidericus nomine, qui patri in comitatu et dominiis successerat. Quibus eciam due erant sorores: quarum prima, scilicet Azela, castitatis emulatione agnum secutura, sancto monialium cetui in ecclesia preciosi martyris Viti Eltene associatur; alia autem Glismod, terrestrem fructum pudicicie matronalis adeptura, cuiusdam nobilis principis in Bavaria matrimonio copulatur.

Ulterius est sciendum, quod Henricus III, Romanorum imperator, Leodii, anno eius primo, regimen et curam imperialis nemoris Novimagensis iure hereditario commisit et concesit gubernandum predecessoribus nationis de Groesbeeck existentibus: quibus et ipse imperator et sui successores in Novimagio et eius imperio multa privilegia, iura, bona et possessiones contulerunt. Erantque inibi

magistri forestariorum atque syndici Romani imperii, prout in antiquissimis cartis et presertim quadam bulla dicti Henrici, sigillo et signo imperialibus communita, apud domicellum Iohannem de Groesbeeck, patronum meum, consistentibus, plenus vidi continentibus.
P. 37. Traxeruntque moram in quodam castro, tunc prope Watermerbrug // ad eorum usus constructo; cuius vestigia ibidem modernis comparent temporibus.

Otto primus, comes Gelrie et Zutphanie, sub Henrico III imperatore Romanorum, inter Alamie [sic] claruit principes. De isto nichil aliud invenitur, quam, cum ipse imperator quandam discordiam inter Wolframmum, abbatem monasterii Pruenmiensis, Treverensis diocesis, et Henricum, comitem de Lympurgh, occasione cuiusdam predii Pruensvelt ortam, anno Domini ML, indictione IX, regni sui XLVI, imperii vero XVIII, III nonarum Augusti, apud turrim suam insulae Weerde, in littore Reni, constitutam, cooperantibus principibus imperii, spiritualibus et temporalibns, ibidem in copiosa multitudine congregatis, sedaret: dictus comes Otto eisdem principibus, ut in litteris ipsius imperatoris, apud prefatum monasterium Pruenmiense reservatis, continetur, interfuit: aliisque eciam principibus temporalibus, videlicet Gerardo de Wassenberch, Theoderico de Thouenborgh, Adolpho de Monte, Gerardo de Guliche et Wernero de Grouinghen, comitibus, inibi existentibus.

In pretactis litteris preponitur non tantum Gelrie aut Zutphanie comes, sed magnus dux Otto de Zutphen intitulatur. Unde hoc pervenit, meum de vero non est decidere. Presumendum tamen est, quod, mortuo tunc temporis Megengoso, comite Gelrie, absque liberiis masculini generis, iste Otto, de Ottonibus imperatoribus Saxonumque ducibus paternum, de Zutphanie vero et Gelrie comitibus maternum trahens genus, ad Zutphanie et Gelrie comitatus fastigium fuerat sublimatus; sed, quia ipse Otto nacione magnus
P. 38. et potens dux extiterat, Zutphanieque comitatus // nomine et antiquitate Gelrie comitatui preferebatur, ideo magnus dux Otto, et non comes Zutphanie aut Gelrie dicebatur. Eciam, secundum quosdam, quondam Zutphanie princeps non tantum comes, sed magnus comes de Zutphen, ob terrarum suarum magnitudinem, dicebatur.

Interea, circa annum Domini MXLV, ipsius Ottonis comitis temporibus, Balduwinus, de Rijsell dictus, mortuo patre suo Balduwino comite, factus comes Flandrie, habuit in uxorem Adelheidem, filiam Roberti, Francorum regis. Post cuius obitum constitutus tutor Ludovici regis iunioris, adhuc in puerili etate constituti, totum ipse regnum regebat Francorum. Tali namque fretus potencia, contra prefatum Henricum III, Romanorum imperatorem, dominium de Aelst et Gerontsberghe ac totam terram, trans fluvium Scalde situatam, potentissime sibi subiugavit. Bis quippe hanc terram imperator recuperare visus est. Prima vice terram ipsam cum magno exercitu intrans, castella inflammavit, villas ac civitates devastavit: eam tamen propter comitis potentiam non valuit subiugare. Altera vero vice imperator, magno recollecto exercitu ad debellandam hanc terram contra Balduwinum comitem, manu valida Flandriam est ingressus, castrisque suis et tentoriis in confinibus civitatis Rijsell sive Insule collocatis, plurima inibi commisit dampna. Inde vero imperator propter ipsius comitis sibi fortiter resistentis potenciam secedens, in palacio imperiali et civitate Novimagensi, pro locis tutissimis, cum suis se recepit. Quem dictus comes, extemplo persecutus cum pregravi suorum exercitu, in dictis palacio et civitate undique per // girum strictissima cinxit obsidione: diversasque mu- P. 39.
nitiones aggerivales, in campis, silvis et mericis adhuc ibidem apparentes, ad suorum exercituum refugium construens, ipsum demum palacium, terribilibus machinis fortiter infestatum, destruxit. De quo imperator, nimirum animo consternatus et mente confusus, tale dedecus sibi illatum, nullatenus suis diebus recuperare presumens, eo quod a tanto comite expulsus et victus existeret. Tandem ob imperialis maiestatis honorem intervenientibus quibusdam terrarum principibus, imperator et comes ad preclare unitatis, pacis et concordie redierunt vinculum; hoc scilicet modo: Quod comes, ad pedes cesaris prosternatus, flexis genibus, a perpetratis veniam et gratiam cesaris obnixe postularet, ac de dicta terra temere, ut prefertur, acquisita, fidelitatis homagium cesari prestaret: et dehinc perpetuo ipse comes et sui heredes eandem terram possiderent. Cumque hec premissa comes peregisset, cesar, adhuc contra eum rancore involutus, ipsum ad statum non elevasset nec ullum ver-

bum sibi locutus fuisset, ipse comes, illico a terra prosiliens, ad pedes se erexit. Recedere satagebat. Quod videntes principes, qui eos composuerant, cesarem desuper redarguerunt. Quibus cesar se excusando benigne respondit, non ex animi sui pertinacia sed ob status sui decenciam verecundia permotus, ipsum comitem, ad graciam suam revertentem tam cito, suscipere obmisisse. Cum igitur comes altera vice, dictorum principum contemplacione, ad pedes
P. 40. cesaris, pro gracia eius obtinenda, humiliter // se proiecisset, cesar ipsum indilate a solo reverenter elevans osculoque pacis sibi dato, omnia contra eum ac cesaream maiestatem perpetrata indulgebat. Insuper dictum dominium de Aelst et Gerontsberghe ac totam terram, trans fluvium Scalde situatam, cum suis attinenciis eidem comiti et eius successoribus in feodum dimisit et resignavit. Unde Baldewinus comes, super hiis fidelitatis homagio prestito, vasallus cesari effectus est. Nec non tertia vice in pedes corruens, cesari multiplices graciarum referebat actiones. Quem tunc cesar protinus assumens, coram imperii magistratibus, ob egregiam animi sui strennuitatem, omnis dissidii fomite remoto, in suam specialem graciam recepit et favorem: nam ex animi sui mera liberalitate, ultra promissa sibi collata, quatuor officia et totam Walateram, ab eo et suis successoribus in Romano imperio perpetuo possidendam, contribuit et donavit. Quo audito comes, denuo ad pedes cesaris se humilians, eius cesaree maiestati cum infinita graciarum actione regraciando. Unde de magno dispendio et discrimine firma pax et ingens utilitas comitatui Flandriae facta exstitit. Et sic grandis ista obsidio Novimagensis, Deo concedente, fuit dissoluta et pacata.

Cesar vero Henricus, cum suorum leticia a Novimagio secedens, Colonie se recepit. Comes autem Balduwinus ad Flandriam cum suis incolumis reversus, ecclesiam collegiatam in honorem sancti
P. 41. Petri apostoli construi et consecrari fecit, // addens ipsius ecclesie canonicis omnem terram, in qua dictus cesar dudum ad debellandum ipsum comitem sua extendebat tentoria. Qui dehinc anno MLXXVII obiens, in eadem ecclesia honorifice sepelitur.

Istis siquidem temporibus prefatus Henricus III theolonium Novimagense, dominii sui castro imperiali annexum, Theoderico, comiti Clivensi, in feodum concessit, ut ipse et sui successores dicto Hen-

rico et suis successoribus tres pannos scarlacos, bene rubeos, Anglicences, candentis coloris annuatim in festo beati Andree, sub pena amissionis huiusmodi feodi, mittere deberet. Ob cuius igitur defectum Clivenses comites in penam cadentes, per Fredericum primum, ut inferius sub Ottone III audietur, dicto feodo privati existunt.

Gelracus [sic], comes Gelrie et Zutphanie, temporibus Henrici III et filii eius Henrici IV, Romanorum imperatorum, gloriosis floruit actibus. Huic Gerlaco, propter temporis conformitatem, videtur fuisse germanus Wilhelmus de Gelria, qui, anno Domini MLIIII, episcopus Traiectensis XXI fuit effectus. Hic quidem Wilhelmus episcopus et Godefridus, dux Lotharingie et Brabancie, nepos eius, anno LXXI, bellicose habuerunt victoriam contra Robertum, comitem Flandrie et tutorem Hollandie: nam Robertus terga vertens a bello profugatus est, et Hollandie populus ex magna parte occisus. Ipsius igitur Wilhelmi episcopi tota Hollandia se subiecit ditioni. Wilhelmus namque, dicti ducis Brabancie auxilio, comes Hollandie potenter // effectus, reputans ipsum comitatum Romano vacare imperio, impe- P. 42.
travit ab Henrico IV, ut comitatus Hollandie de cetero sui iuris esset et dicionis. Pro cuius munimine castrum pulcherrimum et fortissimum in Yselmonde fabricavit. Ipse vero eodem anno LXXV, V kalendas Maii, requievit in Domino, postquam annis XXII, secundum aliquos XXVII, Traiectensi prefuisset episcopatui, et in ecclesia maiori apud antecessores suos tumulatus. Demum anno LXXVI Theodericus, filius Florentii, comitis Hollandie VI, postea comes VII, ad maturam etatem perveniens ac iuvenilis etatis flore vernans, hereditatemque suam paternam recuperare cupiens, apud dictum castrum Yselmonde, auxilio Roberti, comitis Flandrie, vitrici sui, obtinuit victoriam contra Conradum, episcopum Traiectensem, successorem Wilhelmi, et Gerlacum, comitem Gelrie: ubi, post longum conflictum, ipse Gerlacus comes, cum multis aliis armigeriis, corruit. Quorum amissione totalis exercitus episcopi disturbatus est et residuus populus, ad naves inordinate discurrens, pro magna parte submersus est. Et extunc dictus Theodericus comes, iure hereditario, tocius Hollandie obtinuit principatum.

Otto II, comes Gelrie et Zutphanie, tempore Henrici IV, terras, sibi a Deo concessas, strennue gubernavit et defensavit; qui filius Gerlaci, dicti comitis, fuisse creditur.

Hiis vero diebus gloriosus Godefridus, dux Lotharingie et castri Burgionis, cum multis principibus occidentalibus et presertim Gallie,
P. 43. in subsidium terre sancte, de manibus // inimicorum crucis Christi recuperande, cruce signatus, vendidit dictum ducatum castri Burgionis Oberto, Leodiensis ecclesie episcopo: et pagum Velue, quem hereditaria divisione a fratre suo, duce Brabancie in secundarium feodum receperat, — ipse dux Brabancie ab ecclesia Traiectensi in primarium feodum tenuerat, — Ottoni, comiti Gelrie predicto, eo iure possidendum similiter vendidit et in perpetuum concessit. Recepto igitur secum ex huiusmodi dominiis magno denariorum numero, terram sanctam armipotenter aggreditur; quam, Deo auxiliante, post infinitos labores, victorias et triumphos evictis et expulsis infidelibus, totaliter obtinuit. Cuius quidem terre sancte ipse Godefridus dux et Balduwinus, eius germanus, successive reges a fidelibus constituti, meritis et actibus gloriosis vitam finientes, in Domino ibidem mortui existunt.

Huius Ottonis temporibus fertur esse fundatum in Novimagio monasterium monialium ordinis Penitentium beate Marie Magdalene, ex conventu quarundam devotarum patronarum. Que tamen postmodum, mutato ordine Penitentium, ad procurationem Reynaldi, primarii ducis Gelrie, autoritate Superioris interveniente, ordinem beate Marie Premonstratensem assumpserunt, et se eiusdem ordinis abbati Insule beate Marie, diocesis Traiectensis, subdiderunt.

Tandem dictus Otto comes, postquam annis XXXI dominiis post ipsum Gerlacum honorifice prefuisset, sub dicto Henrico V, anno Domini M centesimo VII, XV kalendas Aprilis, diem vite sue clausit extremum.

P. 44. // Gerardus primus, comes Gelrie et Zutphanie, post dictum Ottonem primum, [sic] ut creditur patrem suum, tempore Henrici V, dictos comitatus assumpsit regendos. Istius Gerardi comitis temporibus, Theodericus, comes Hollandie nonus, proavum suum Florentium Hollandie comitem VI, in Ophemert, ut premittitur, occisum, ulcisci desiderans, Hermanno iuniori, comiti de Kuyc,

ubique terrarum hostiles tetendit insidias, ita quod, nullo pacificatore mediante, treugarum obtinere posset inducias. Tandem Andreas de Kuyc, episcopus Traiectensis, ipsius Hermanni comitis nepos, per continuam interpellacionem, dictam discordiam intercepit et inter utramque partem firmam elaboravit amiciciam, in hunc modum: Ut Hermannus, comes de Kuyc, patruus suus, pro anima Florentii, comitis occisi, monasterium construeret et eciam per competentes prediorum possessiones dotaret. Unde anno Domini MCXXVIII, dicte concordie vigore, inter principes predictos, ut prefertur, inite, ab ipso Hermanno, comite de Kuyc, inceptum et fundatum solempne monasterium Insule beate Marie, ordinis Premonstratensis, que IX annos perprius a Norberto, natione Xanctensi, inceperat. Et allati sunt illuc monachi de Landuno, ordinis eiusdem, qui ibidem, sub monastica disciplina, Deo devote servirent, et pro anima Florentii comitis suis sanctis precibus perpetuo orarent. Quibus preerat abbas Robertus, cognatus regis Anglie.

Demum IV et circiter anno post huiusmodi monasterii fundacionem, Hermannus, comes de Kuyc, iterato contencionem concepit //P. 45 adversus Florentium, dictum nigrum, prefati Theoderici comitis fratrem, propter filiam sororis ipsius Hermanni comitis, a dicto Florentio, in eius scandalum, oppressam. Quapropter ab eodem Hermanno tandem apud Abtsteden in ultimo livore peremptus. Lotharius ergo III, Romanorum imperator, mortem nepotis sui Florentii, filii sororis sue, egre ferens, predictum Hermannum, comitem de Kuyc, dictante sentencia principum, dignitate et honore privavit. Extunc Theodericus, Hollandie comes, in vindictam fratris sui Florentii occisi, terram de Kuyc potenter intrans, exustis villis et eversis castris, eandem dicionem in solicitudinem [sic] redegit.

Illis vero diebus Fulcoldus, miles, qui in necem dicti Florentii, fratris Theoderici comitis, complex, ipsius Theoderici comitis effugiens insidias, cum suo equo flumen Mose transnatavit; qui, de evasione mortis multum gaudens, tam pro graciarum actione, quam eciam sua reconciliacione, edificare cepit et perfecit de castro suo, quod Berna dicebatur, conventualem ecclesiam et monasterium: ubi adducti sunt religiosi viri, ordinis Premonstratensis, a monasterio Insule beate Marie. Et insuper idem Fulcoldus, miles, de bonis et

possessionibus suis de Wůyrt, parochie de Altforst, infra Mosam et
Walam consistentis, conventum monialium ordinis eiusdem instituit
et fundavit. Qui quidem monialium conventus postmodum, propter
giras guerras, inter Reynaldum et Edwardum, Gelrie duces, ad
septennium, ut infra deducetur, durantes, fuit desolacioni et deser-
cioni suppositus. Quod videntes abbas et conventus dicti monasterii
P. 46. de Berna, quibus dicti conventus cura incumbebat, // occasionem
sibi ex hoc assumentes, eundem conventum in divini cultus dimi-
nucionem animarumque suarum periclum, ac prelibati Fulcoldi,
militis, primi eorum institutoris, fraudem et ingratudinem, dam-
pnabiliter suppresserunt, omniaque et singula bona et possessiones,
ad ipsum conventum spectantia, propriis usibus applicantes, solum
monachum proprietantem, secundum eos Propositum dictum, ibidem
tanquam cipharam, deinceps relinquentes. Tandem post prenominati
Lotharii cesaris obitum, dictus Hermannus, sive quondam comes
de Kuyc, concordia interveniente, ad propria est reversus. Ipse
igitur Hermannus et sui successores, propter sententiam Lotharii
in eos, ut prefertur, latam, in memoriale perpetuum, nomen comitale
amittentes, de cetero domini de Kuyc usque in presens existunt
nuncupati.

Ad ultimum vero Gerardus, comes Gelrie, anno Domini M centesimo tricesimo primo, in vicesimo quarto comitatus sui anno, tempore Lotharii prefati, migravit ab hoc seculo. Cui filius eius successit Henricus.

Henricus, comes Gelrie et Zutphanie, anno Domini MCXXXI, patri
suo Gerardo successit in comitatibus. Hic quidem Henricus, comes,
gloriosus princeps extitit egregius, statura procerus, virtute robu-
stus, adspectu decorus, sermone facundus, corde magnanimus, agi-
litate strennuus, rebus mundi multum locupletus, in dando largifluus,
ecclesie et Deo devotus, dominis imperatoribus subiectus, populo fidus
ac gratus, ac omnibus eque rectus iustitiarius. Ipse vero de accepta
nobili coniuge sua genuit Gerardum et Ottonem, comites succeden-
P. 47. tes ac duas filias: ex quarum una Engelbertus, // comes Montensis,
genuit Adolphum, comitem Montensem, et Engelbertum, archiepi-
scopum Coloniensem per Fredericum, comitem de Ysenburch, ut infra

patebit, occisum. Ex alia vero Gerardus, comes Lossensis, quatuor habuit filios, scilicet Ludovicum, Gerardum, Arnulphum et Henricum.

Porro anno L, defuncto Herdberto Traiectensis ecclesie pontifice, in capitulo gravis suborta est discordia super electione novi pastoris. Eiusdem principales namque principes, videlicet Henricus Gelrie, Theodericus Hollandie et Theodericus Clivensis, comites, Hermannum de Hueriic, prepositum sancti Gereonis ecclesie Coloniensis, petierunt in episcopum promoveri. Cives autem Traiectenses et Daventrienses postularunt Fredricum de Hoevell in pontificem sublimari. Sed pars nobilium comitum, ut solet, alteram depressit; et comes Hollandie bellica manu Hermannum in episcopum introduxit. Demum transacto biennio cardinalis quidam, delegatus a papa, citavit utrosque electos ad Leodium: ubi prefatus Hermannus cum suis fautoribus veniens, per eundem cardinalem et Conradum tercium, Romanorum regem, adeptus est pontificium.

Insuper prelibatus Henricus comes anno LIX hoc modo cum Godefrido de Renen, successore Hermanni, episcopi Traiectensis, discordare cepit; a quo tamen postea, triumphali laude, voluntatem suam obtinuit. Trentones namque tumultuare ceperunt adversus ipsum episcopum pro prefectura Groninghie, consociantes sibi cives Traiectenses cum plerisque vasallis ecclessie. Asseruit enim idem episcopus, quod prefectura sibi libere vacaret pro eo, quod Lyfridus prefectus, tunc defunctus, filium superstitem non haberet. Nepotes tamen Lyfridi, de // filia sua progeniti, prefecturam ipsam ambien- P. 48.
tes, feodales effecti sunt Henrici, comitis Gelrie, ut, eo suffragante, fortius obstare possent insultibus episcopi Traiectensis. Cuius demum auxilio predicti iuvenes, ministeriales et cives Traiectenses episcopum, cum suis militibus in turri episcopali circumvallatum, procul dubio captivassent, nisi consilio Theoderici de Clivo maturus evasisset. Egressus autem episcopus, adversus omnes cives Traiectenses et ecclesie ministeriales in iram exarsit et turrim suis militibus munivit; ex qua plurimi civium balistis, sagittis et lapidibus vulnerati, occisi sunt. Comes autem Gelrie Henricus, vir magnanimus et imperterritus, cum ministerialibus, civibus et militibus suis instantissime consurrexit, castellanos multis incursionibus lacessivit, quos cum balistis et fundibulis, cotidianis assultibus, nimis acriter

infestavit, adeo quod tam hyemalem, quam estivalem domum episcopi exureret et maganas ad turris eversionem erigeret. Episcopus itaque plurimum anxiatus et a cunctis auxiliatoribus, timore Henrici comitis, pene destitutus, supplici prece instanter admonuit hominium Florentii, comitis Hollandie, quatenus, memor fidei et hominii, optimus auxiliator sibi in neccessitate talis angustie foret, ac gloriam et vitam eius conservaret. Comes autem Hollandie, videns episcopum angustiis circumdatum omnibusque auxilliis destitutum, collecta absque mora militum et navium multitudine copiosa et adiuncto maritimo, agresti et indomito populo, plus quam oportuit, episcopo magnificus auxiliator extitit. Castrum enim Worden firmavit
P. 49. et, impositis militibus suis et sagittariis // Flandrensibus, totam circum circa regionem incendio et rapina depopulatus est. Cum autem, tum a comite Hollandie, tum ab episcopo, cunctos Traiectenses plurimum artarentur, a comite Gelrie Henrico defensa est. 1) Theodericus de Batenburgh ibi cum suis electis et audacissimis militibus affuit. Et cum multi nobiles et armigeri, solidorum pactione convocati, qui multociens urbem egressi, assultus frequentes et incursus adversus milites episcopi et comitis Florentii habuerunt, interea Traiectenses, auxilio Henrici, comitis Gelrie, maganam constituentes, turri episcopali applicuerunt; eamque, cotidie lapidibus impetentes, destruxerunt, instantissime annuentibus ad hoc magonibus et cuiuslibet officii hominibus.

Porro civitatem Groninghen episcopus et comes Florentius exterius crebris infestaverunt assultibus: quam econtrario Henricus, comes Gelrie, simul et Theodericus de Batenburgh interius bellice cum electis equitibus defensaverunt. Invaluit quippe hec discordia fere per annum, que tandem, iussu Fredrici imperatoris, per Reynaldum, archiepiscopum Coloniensem, sedata est. Et episcopus, acceptis trecentis marcis argenti, prefecturam Groningie nepotibus Lyfridi cum novis privilegiis recognovit.

Rursum anno LXII, dictus Fredricus imperator aggregavit sibi undique electam militiam, ut armipotenter rebellem expugnaret

---

1) Legendum videtur: *cuncti—defensi sunt.* Sed in postremis fieri potest ut vocula *urbs* exciderit.

Italiam; cui Henricus, comes Gelrie, cum expeditione valida, eleganter occurrens, in Italiam secum proficiscitur: ubi, in obsidione magne civitatis Mediolanensis, multum pro triumphali laude laborum explevit, donec Mediolanensis populus lassatus // in bello succubuit P. 50.
ac civitas ipsa in manus imperatoris tradita fuerat. Tandem imperatori valedicens ac Alpium iugă alta transcendens, infra Gelriam a suis cum gaudio est susceptus.

Interea sub Henrico, comite, magister Franco, doctor sacre theologie, ex instructu magistri Beltoldi, Xanctensis, et Ghiselberti inclusi, ibidem venit in locum, qui nunc dicitur Bethleheem sive Belheem, ex ducatu Bernardi, militis de Wissche. Ibi, modico tempore commorans, intellexit locum illum esse marchionem, [sic] quare transire proposuit Versewelde, illectus a duobus fratribus, Iohanne et Hermanno de Bredewort, et eorum consanguineis Rodolpho de Stenůorde, offerentibus ei ecclesiam. Quod percipiens Henricus, comes Gelrie, ad dictum magistrum Franconem accessit, rogans et consulens, ut a loco et comicia sua non recederet, promittens ei, per se et suos, a marchionibus proprietatem loci dandam; quod postea effectualiter peregit. Unde magister Franco, diu dubium hesitans quid faceret, audivit in sompnis vocem, dicentem sibi: »Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam." Qua voce audita, constantie anchoram fixit, capellam ligneam construxit, quam Balduwinus, episcopus Traiectensis, per magistrum Franconem invitatus, [consecravit.] Postmodum vero, crescente religione et numero personarum, monasterio quoque ex elemosinis fidelium decenter inchoato, altissimi Dei gratia suffragante, in solempne perficitur et consecratur monasterium. Defuncto autem magistro Francone et succedente eius domestico Wilhelmo, primo eiusdem ecclesie preposito, mortuoque pie memorie // Ottone, comite Gelrie, filio P. 51.
quidem Henrici comitis, nobilis matrona Ricardus [sic], relicta eius vidua, in monte ecclesie proximo habitacione constructa, ad manendum per tempus transivit. Cumque omnimode promotioni ecclesie daret operam, ex eius dotem [sic] ampliare desiderabat. Unde ad peticionem ipsius filiique sui Gerardi, comitis Gelrie, marchiones convenientes, ipsis presentibus, dotem ampliantes, multa bona hinc inde contribuerunt.

Prelibati eciam Henrici, comitis Gelrie, temporibus, Fredricus primus et magnus, filius Fredrici, ducis Almanie sive Suevie, frater Conradi III, anno MCL in Romanorum imperatorem electus, anno imperii sui III, Novimagium, per Nortmannos sive Danos ac Balduwinum, Flandrie comitem, uti superius lacius deductum existit, dirutum et collapsum, a Iulio quidem Cesare originaliter fundatum, arte, nitore reparavit. De qua quidem reparatione in veteri quodam epithaphio ecclesie Novimagensis, prope eius armarium infixo, hec habentur metra insculpta:

Anno milleno, postquam salus est data seclo,
Centeno iuncto, quinquageno quoque quinto,
Cesar in orbe situs, Fredricus, pacis amicus,
Lapsum, confractum, veluti nichil ante redactum,
Arte, nitore pari, reparavit opus Neomagi.
Iulius in primo tamen extitit eius origo,
Impar pacifico reparatori Frederico.

Predicta vero metra interpretanda sunt principaliter de civitate Novimagensi, tunc omnino, ut predicitur, vastata et desolata.
P. 52. // Sed palacium ipsius non tantum per hunc Fredricum, imperatorem, sed eciam per diversos Romanorum imperatores perhibetur fuisse renovatum. Cum depost Otto tercius, Theophana eius genitrix, Henricus II et Henricus III, ut patet in precedentibus, per aliqua tempora Novimagii residerunt. Quod perficere minime potuissent, si palacium inibi reparatum non habuissent.

Demum Henricus, comes, postquam comitatum Gelrie XXXII annis, in magno statu et honore, strennue gubernasset, anno Domiui MCLXII, tempore dicti Fredrici magni, moritur et in monasterio Campensi, ordinis Cistersiensis, ad dextrum latus a choro, luctuose sepelitur. Cui successit filius eius Gerardus.

Gerardus II, comes Gelrie et Zutphanie, anno Domini MCLXII, patri suo Henrico successit in comitatibus. Hic vero comes, post obitum patris sui, cum Traiectensibus discordare cepit et paucis annis, quibus supervixit, quasi continuum bellum, eciam propter Veluam, habuit: que eciam suis successoribus, ut inferius patebit, multorum bellorum occasiones prebuit. Istius igitur comitis Gerardi

primis diebus, Balduwinus, frater Florentii, Hollandie, et Ottonis de Benthem, comitum, atque Theoderici, prepositi ecclesie maioris, qui Godefrido de Renen, episcopo Traiectensi supradicto, in episcopatu successerat, per eorundem fratrum suorum auxilia, totam terram aliquantis annis gloriose gubernavit. Omnes itaque burgenses ab eo iura civilia, et ministeriales bona feodalia susceperunt. Sed solus dux Brabancie, Godefridus, statuto tempore, Veluam ab ipso in feodum acceptare neglexit; quam quidem Veluam // ipse Gerardus, P. 53.
comes, a dicto duce Godefrido subinfeodatam tenebat, quapropter episcopus Balduwinus, anno LXXVIII, cum invictis bellatoribus Veluam occupavit, Gerardo, comite, cum omnibus suis pugnatoribus effugato. Comes vero Gerardus, tante dicionis amissionem egre ferens, aggregavit armigerorum copiam et, cum magno illo exercitu, Daventriam per IIII dies obsidione circumvallavit. Sed Fredricus, imperator, reparator Novimagensis, illuc adveniens, omnem belli tumultum suppressit, et in oblongas treugas, pro pace servanda, utrique partium servari mandavit. Interea dictis treugis itaque durantibus, Gerardus, comes, postquam comitatum Gelrie VIII annis, post obitum patris sui Henrici, bellicose gubernasset, anno Domini MCLXX, tempore dicti Fredrici magni, absque liberis discedens, migravit ad Dominum; et in collegiata ecclesia Wassenburgensi, per eum fundata, flebilibus exequiis inhumatur.

Otto III, comes Gelrie et Zutphanie, princeps magnanimus et bellicosus ac militaris exercitii strennuitate multum insignis, anno Domini MCLXX, tempore Fredrici magni, post discessum fratris sui Gerardi, ad ipsorum comitatuum gubernacula fuit assumptus. Qui ex sua nobili uxore, Richarda, comitis de Nassowia filia, genuit Henricum, Gerardum et Ottonem, electum Traiectensem, ac Adelheidem, nuptam Wilhelmo primo, comiti Hollandie XII: ex quibus processerunt Florentius, comes Hollandie XIII, pater Wilhelmi, Romanorum // regis, et Otto, episcopus Traiectensis. P. 54.

In huius comitis Ottonis successionis initio 1)

---

1) Aliquid hoc loco in codice desideratur; dimidia saltem pars lineae vacua relicta est.

Prelibatus nempe Otto, comes, in ampliando terrarum suarum
fines, indefessus laborator, civitatem Embricensem cum suo districtu,
prepositi, decani et capellani illius, qui fundi ipsius districtus meri
domini extiterant, accedente consensu, suis copulavit partibus, dans
et concedens eis iura et privilegia terrarum suarum, quibus hodier-
nis utuntur temporibus. Idem tamen districtus postmodum per Ed-
wardum, ducem, ad manus Iohannis, comitis Clivensis, sororii sui,
impignoratus, tandem, occasione Reynaldi, ducis, nepotis Edwardi,
in bello Clivensi capti, Adolpho, primario duci Clivensi, perpetuis
cessit temporibus.

Sane cum idem comes Otto, suorum antecessorum more, Fre-
drico, imperatori, et principibus imperii multum dilectus, anno
1182 Domini MCLXXII, de mense Maii, apud Maguntiam, solempni prin-
cipum curie per eundem imperatorem cum suis de negotiis regni
celebrate interresset: idem imperator, propter fidele obsequium,
quod tam ipse Otto, comes, quam sui predecessores sepius imperio
et sibi exhibuerunt, de fidelium principum imperii consilio et con-
sensu, eidem Ottoni palacium sive domum Novimagensem, imperio
attinentem, sum suis attinentiis, iure hereditario perpetuo ab im-
perio tenendam, in feodum concessit; nec non theolonium Novi-
magense, dicte domui annexum, a Theoderico, comite Clivensi,
per sententiam principum prolatam imperio adiudicatum, ad suos
P. 55. proprios et successorum suorum [usus] imperpe // tuum reservavit:
eo excepto, quod, cum dicte domui Novimagensi, ad procurandam
ipsam, redditus non sufficerent competentes, de consilio fidelium
suorum, accedente consensu principum imperii, ut dictus comes
Otto et sui successores prefatam domum Novimagensem honestius et
laudabilius valeant procurare eamque diligentius imperio conservare,
concessit eidem Ottoni, comiti, similiter in feodum trecentas marcas
denariorum Coloniensium, quas theolonarius suus Novimagensis, qui
pro tempore fuerit de theolonio suo, predicto comiti Clivensi, ut
prefertur, ablato, ipsi Ottoni et successoribus suis singulis annis in
feodum imperpetuum, omni contradictione et occasione quavis post-
posita, integraliter deberet assignare. Pro quo feodo predicto idem
comes Otto, tam pro se quam suis successoribus, imperio et sibi
homagium fecit. Et sic idem Otto, primus inter Gelrie principes,

procurator sive advocatus palacii et imperii Novimagensis extitit constitutus. Pro quorum omnium premissorum veritatis claro testimonio, tenorem litterarum, ipsi Ottoni et suis heredibus, Gelrie principibus, ab eodem imperatore desuper concessarum, hoc loco de verbo ad verbum decrevi inserendum.

»Fredricus, Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus
Omnibus tam futuris quam presentibus
imperpetuum.

Ne ea que aguntur in tempore, simul cum tempore labantur, boni solent in dictis testium et scripture memorie perhennari. Eapropter, universorum noticie cupimus declarari: Quod, // cum P. 56.
nos una cum principibus et fidelibus imperii apud Maguntiam, ad tractandum de negotiis imperii, curiam solempnem celebraremus, et dilectus et fidelis noster Reynaldus, venerabilis Coloniensis archiepiscopus, una cum fidelibus suis, eidem curie nostre interest, [sic] et dilectus noster, vir nobilis et strennuus Otto, comes Gelrie, in suo comitatu existens, se nostro conspectu presentasset; nos, attendentes eiusdem Ottonis comitis fidele obsequium, quod tam ipse quam sui predecessores sepius imperio et nobis exhibuerunt, de consilio fidelium nostrorum, accedente consensu principum imperii, concessimus eidem Ottoni in feodum domum Novimagensem, imperio attinentem, cum suis attinentiis, iure hereditario perpetuo ab imperio tenendam. Et cum serenissimus Romanorum imperator, Henricus tercius, predecessor noster, theolonium Novimagense, dicte domui annexum, sine constantia et consensu principum imperii, Theoderico, comiti Clivensi, qui temporibus suis comes extitit, in feodo concessisset, tali videlicet interposita conditione: quod idem et sui successores dicto Henrico, Romanorum imperatori, et suis successoribus de eodem theolonio singulis annis, in festo beati Andree, tres pannos scarlacos, bene rubeos, Anglicenses, ardentis coloris, quorum quilibet longitudinis quadraginta ulnarum esse debebat, per nuncium suum assignare deberet: ita videlicet, si eosdem dicto termino non assignaret, quod prefato theolonio, sicut in ipsius privilegio, cuius rescriptum habuimus, et eciam in Registro imperii continebatur, prout elegit, tam ipse quam sui successores privari deberent. Cum igitur Theodericum, qui nunc comes

Clivensis existit, sepius per nuncium nostrum monuerimus, ut di-
P. 57. ctos pannos, termino statuto, // nobis assignaret, nec ipsos assignare curaverit: Nos tandem ipsum, secundum sententiam a principibus imperii prolatam, dicto theolonio, sicuti Theodericus predecessor suus, comes Clivensis, ut dictum est, elegerat, privavimus et dictam concessionem, que sine constantia et consensu principum imperii facta fuit, cassavimus et imperpetuum revocavimus. Sicque dictum theolonium, a principibus imperii per sententiam eorumdem imperio adiudicatum, ad usus nostros et successorum nostrorum imperpetuum reservavimus: eo excepto, quod, cum dicte domui Novimagensi, ad procurandam ipsam, redditus non sufficerent competentes, de consilio fidelium nostrorum, accedente consensu principum imperii, ut dictus Otto, comes Gelrie, et sui successores prefatam domum Novimagensem honestius et laudabilius valeant procurare et eandem diligentius imperio conservare, concessimus eidem Ottoni, comiti Gelrie, similiter in feodo trecentas marcas denariorum Coloniensium, quas theolonarius noster Novimagensis, qui pro tunc fuerit, de theolonio nostro ibidem, ipsi et successoribus suis singulis annis in feodo imperpetuum, omni contradictione et occasione quavis postposita, integraliter debet assignare. Pro quo feodo predicto idem comes Otto, tam pro se quam pro suis successoribus, imperio et nobis homagium fecit.

Huius rei testes sunt dilecti et fideles nostri principes Siffridus Maguntinensis, Hillinus Treverensis et Reynaldus Coloniensis, archiepiscopi, Wenselaus, dux Bohemie, Hermannus, dux Bauwarie, Henricus, marcgravius de Brandenburg, Henricus, marcgravius Missenensis, Otto, dux Swevie, Wernhardus, dux Austrie, Godefridus, dux
P. 58. // Brabancie, Henricus, dux Saxonie, Philippus, comes Flandrensis, Theodericus, comes Hostadensis, et alii quam plures viri probi et honesti.

Et ne hec nostra concessio, solempniter coram principibus imperii facta, a nobis vel successoribus nostris aliquatenus infringi possit vel in dubium revocari, presentem paginam, de consensu principum imperii predictorum, exinde conscribi, bulla nostra aurea, munimine fecimus roborari.

Actum et datum apud Maguntiam, anno Dominice incarnationis M centesimo septuagesimo secundo, mense Maio, indictione X."

Ast eciam Fredricus magnus, Romanorum imperator, cum potenter Italiam accederet papamque Alexandrum, qui eum excommunicando graviter commoverat, insequi diffoveret, Mediolanenses sibi rebelles, contra imperatorem bellantes, evicerunt et sic Alamanniam cum confusione repetere coegerunt. Imperator, inquam, harum iniuriarum nullatenus immemor, sed de eisdem rebellibus Mediolanensibus se atrociter ulcisci desiderans, assumptis secum Reynaldo Coloniensi, Wichmanno Magdeburgensi, archiepiscopis, Ulrico Halberstadensi, et Leodiensi, episcopis, Henrico Leone, duce magno Saxonie et Brunswyck, ac Henrico, Gelrie comite, ceterisque pluribus imperii principibus, magno cum excercitu, Italie partibus potenter regrediens, anno Domini MCLXII, Mediolanum undique per girum strictissima cinxit obsidione. A qua quidem tandem continuata obsidione, cum Henricus Leo, dux Saxonie, cuius germanam imperator sibi habuit uxorem, cum mille quingentis armatis, quos in auxilium imperatori de longinquis adduxerat, redire vellet, imperator, illius rei causa animo consternatus, eius tamen cor emolliendo, // diademate im- P. 59. periali coronatus, coram omni populo ad ipsius ducis pedes humiliter in terram se prosternens magnarum precum instantiis ad secum manendum et suum propositum, pro honore imperii et reipublice, cum aliis principibus ibidem constitutis exequendum, invitaret: ipsius ducis prefectus tunc duci multum exhorbitanter fertur dixisse: »Si vobis corona ad pedes prolapsa est, ad caput facilius ascendet vestrum." Quod quidem verbum ducem ipsum suosque posteros, ut infra patebit, originaliter destruxit et omnibus suis spoliavit principatibus pariter et dominiis. Attamen idem dux, Leo dictus, humilibus precibus imperatoris minime acquiescens, sed dictorum verborum prefecti sui magnificacione allectus, dimisso imperatore et suis principibus in obsidione, Saxoniam repetiit, indignacionem omnium ipsorum perpetuam dampnabiliter incurrendo. Civitate Mediolanensi, camera imperiali existente, tandem maximis laboribus et victoriis obtenta et destructa, Reynaldus, archiepiscopus, inde sustulit tres reges gloriosos, qui Ihesum Christum, Dominum nostrum, tribus cum muneribus adoraverunt: quos in ecclesia sua Coloniensi, altera die Magdalene, magno reposuit cum honore. Pretactoque Reynaldo defuncto, prefatus Henricus, dux, Philippo de Heynsberch, ipsius

Reynaldi in ecclesia Coloniensi successori, se opposuit, asserens, in ipsius Philippi contemptum, terminum ducatus sui Westphalie se extendere, in quantum eques lancea a littore Reni, apud Tuicium, in Renum sagittare posset, extendere 1). Que quidem verba probrosa et contumeliosa, de dicto duce prolata, Philippus nullatenus sufferre volens, invocato fidelium suorum auxilio, fortiter in faciem
P. 60. sibi restitit, // et originalis causa dissidii istorum duorum principum extitit, uti in quadam littera Ottoni, comiti Gelrie, Henrici comitis filio, per Philippum concessa, scriptis [sic] invenitur. Cum enim dictus Henricus, magnus sicut leo, inter Almanie principes, famosissimis divitiis et potentia pollens, cum imperatoris et principum suorum indignacione, ab obsidione Mediolanensi, ut premittitur, se subtraxerat, et adhuc contra imperatorem suosque principes ac rempublicam cervicosa tirannide multa ageret insolenter, ipsosque omnes in suum concitaret odium, idem imperator, de consensu principum et optimatum imperii, apud Geleheim curia celebrata, deposuit et privavit ducatus nomine et honore; ducatumque, quem sibi abstulit, secans per medium, unam partem contulit Bernardo, duci Saxoniae, nepoti suo, aliam vero partem, videlicet ducatum Westphalie et Angarie, concesit Philippo, archiepiscopo Coloniensi, ob probitatis et virtutum suarum merita. Ac eundem in eadem curia de dictis ducatibus, vexillo imperiali et banno solempniter investivit. Quibus peractis, imperator ad defensandam et prosequendam sententiam, per eum contra Henricum ducem promulgatam, terras Saxonie cum suis principibus armipotenter intrans, ipsi Henrico, duci, auxilio archiepiscopi Philippi et suorum fidelium, gravissimas undique tetendit insidias. At vero ipse Philippus, prout erat vir audax et strennuus, supradicte concessionis imperialis precipue sibi assumens executionem, assistentibus sibi Godefrido, duce Brabancie, Ottone, comite Gelrie, Philippo, comite Flandrensi, Theoderico, comite Clivensi, Wilhelmo, comite Iuliacensi, Gerardo, comite de Are,
P. 61. The//oderico, comite Hostadensi, Henrico, comite de Zeyne, advocato Sancti Petri Coloniensis, Engelberto, comite de Aperte, et ceteris principibus, cum exercitu trium milium militum electorum, exceptis

1) Verbum *extendere* delendum erit, utpote bis positum.

armigeris, equitibus et pedestri exercitu, quorum non erat minus in subsidium imperatori, similiter intrans Saxoniam, prefatum ducem Henricum, per imperatorem depositum, tribus continuis annis incessanter, una cum ipso imperatore, pluribus bellis et congressibus impugnans, expulit et finaliter exterminavit atque potenti manu obtinuit, et sibi atque ecclesie Coloniensi acquisivit possessionem ducatus Westphalie et Angarie, et successoribus usque in presens dereliquit. Et extunc potestas principum Saxonie potestas 1) annichilata est, predictumque tamen ducatum, duci Henrico ablatum, cuius Susatum principalis civitas existit, idem Philippus nichilominus ab ipso imperatore depost, pro quinquaginta milibus marcarum puri argenti, sibi et ecclesie sue Coloniensi comparavit, unde:

Accipe collatum per me tibi, Petre, ducatum,
Quem quinquaginta marcarum milibus emi.

Denique Wichmannus, archiepiscopus Magdeburgensis memoratus, imperatori in premissis omnibus coadiutor, misericordia motus, prefatum ducem Henricum, omnibus suis terris et dominiis taliter per imperatorem et archiepiscopum denudatum, anno Domini MCLXXXI, post festum Penthecostes, ad imperatoris reduxit presentiam, et eidem, hoc peracto, ipsius obtinuit gratiam, videlicet, ut Henricus abiuraret ac re//signaret omne ius ac impeticionem in et de omnibus P. 62.
bonis propriis ac feodalibus, exceptis seu obtentis duntaxat Brunswyck et Lunenborch, cum adiacentia sibi assignata. Quibus ad effectum deductis, abiurare coactus est propriam terram et exulare compulsus per triennium. Sicque depost in festo Iacobi, tanquam exul veniens in Angliam, a rege Henrico, cuius ipse germanam Mechteldim sibi habuit coniugem, receptus, penas sui inibi luit exilii.

Ipsius eciam temporis intervallo, sanctus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, ab ipsius regis ministris fuit martirisatus.

Completo dicto termino, Henricus, dux, de Anglia reversus, interfuit magne curie imperatoris Maguntie, ut inferius audietur, pro recuperatione terre sancte celebrata. Ad propria tandem reversus, non dux Saxonie, sed Brunswicensis est vocitatus. Postque Fredricum, imperatorem, defunctus, reliquit Henricum ducem de Bruns-

---

1) Sic legitur; sed delendum quippe bis positum.

wyck, et Ottonem IIII, comitem Pataviensem, contra Philippum electum.

Rursum, prout littera, de qua supra fit mentio, Ottoni, comiti Gelrie, per Philippum, archiepiscopum, concessa, canit: Cum idem Otto, comes, advocatus Nussiensis, ipsius archiepiscopi dilectus et fidelis, una cum fidelibus suis principibus supranominatis, ad expugnandum dictum ducatum Westphalie et Angarie, ecclesie Coloniensi subiugatum, specialiter cum LX militibus, viris strennuis, bene armatis et pulchre supertectis et pluribus aliis, suis propiis expensis, sibi in subsidium venisset, secumque manendo fortiter egisset; ipse igitur archiepiscopus, attendens eius fidele obsequium, quod tam ipse quam sui predecessores sibi et ecclesie Coloniensi sepius exhi-
P. 63. buerunt, anno incar//nationis Domini MCLXXVI, in palacio suo Coloniensi, de consilio fidelium suorum principum prenominatorum et dilectorum priorum suorum, accedente consensu capituli sui Coloniensis, cum modicum de advocatia sua Nussiensi haberet emolumentum, superaddidit feodo suo, quod ab ecclesia sua Coloniensi tenuit, quinquaginta marcas denariornm Coloniensium, que ipsi Ottoni, comiti, et successoribus suis ab ipso archiepiscopo et successoribus suis, singulis annis, in festo beati Martini, de theolonio suo Nussiensi, imperpetuum debent assignari.

Preinserta namque historia ex Saxonie et Coloniensi aliisque diversis cronicis fideliter est adunata.

Inter hec autem, videlicet anno Domini MCLXXXVII, civitas sancta Iherusalem et sepulcrum Dominicum una cum cruce sancta, tradicione comitis Hugonis de Tripoli, expugnata et capta est a Saladino, rege Babilonie, et Christianis occisis et effugatis, anno a captivitate eiusdem, sub duce Godefrido, LXXXVII. Urbanus igitur papa, qui Lucio iam successerat, misit ad dictum Fredricum, imperatorem, Henricum, Albaniensem episcopum cardinalem, et ad omnes provincias Cisalpinas, una cum patriarcha Iherosolimitano, ad incitandum fideles ad peregrinacionem pro liberacione terre sancte. Prope innumerabilis multitudo, tam nobilium quam vulgarium, crucem assumpserunt. Imperator igitur Fredricus, anno LXXXVIII, una cum Henrico, filio suo, Ottone, comite, Florentio, comite Hollandie, Philippo, comite Flandrie et cum universis principibus, tam ecclesiasticis

// quam secularibus regni Theutonici, dictis presentibus legatis, apud P. 64.
Maguntiam solempni celebrata curia, que intitulatur curia Christi, ab episcopo Herbipolensi crucis fuit caractere insignitus. Quam quidem crucis signacionem antea acceperat alter filius eiusdem imperatoris, dux scilicet Swevie, Fredricus. Qua de causa, dictus imperator Henricum, comitem de Deytze, strennuum militem nobilem, transmisit in legacione ad Soldanum, ut ex parte imperatoris renunciaret federi pacis, quod mutuo ipsi inter se pepigerant, et ex parte sua eundem Soldanum, Saracenorum principem, diffidaret. Quo facto idem imperator anno LXXXIX solempnem curiam principum et nobilium habuit in civitate nobili Bavarie Ratispona, occurrentibus sibi illuc omnibus cruce signatis, qui per terram proficisci disposuerant cum eodem. Sed Otto, comes Gelrie, cum sua electa comitiva, navali itinere Iherusalem vadit. Unde ibidem ad peregrinandum in opus Christi lumbos accingens, ipse imperator, committens dicto Henrico, filio suo, summam rerum imperialium, a civitate Ratispona predicta, cum XXX milibus virorum, inter quos fuerunt quindecim milia militum electorum, per decursum fluminis Danubii, iter suum movit. Descendentes igitur dicti peregrini per Ungariam atque Bulgariam et Greciam, usque ad mare, quod Brachium sancti Georgii dicitur, pervenerunt. Idem autem mare transfretare in cena Domini aggredientes, filius imperatoris, Fredricus, dux Swevie predictus, per septem dies continuos, cum omnibus peregrinis, pauperibus et de
vulgo // communibus, transfretavit. Imperator octava die, omnibus P. 65.
transmissis, cum multis electis viris et principibus, in navi regia transfretavit. Qui cum iam ad suos transpositos venisset, alloquens eosdem fiducialiter, ita dixit: »Corfortamini omnes, fratres, et confidite in Domino nostro Ihesu Christo, nam omnis hec terra iam in promptu est in manu nostra."

Transito igitur dicto mari, dum per multos labores, adversitates hostium atque penuriam victualium, ad terram Armenie pervenissent, et iuxta ripam cuiusdam fluminis castra locassent, ipse imperator, quadam dominica die, cum diuturno labore vexatus corpore estuaret, contra voluntatem omnium fere suorum, in fluvium refrigerandi gratia descendit: ubi quidem Deo, qui aufert spiritum principum, taliter disponente, obiit anno XC, aquis prefocatus. Quod siquidem

est et magis infeliciter admirandum, cum idem fluvius, sicut multi testantur, adeo profundus non fuerit, quin vado secure transiri potuisset.

Eodem anno innumerabilis multitudo fidelium, magno apparatu navium arma et escas ferentium, viam insistit Iherusalem, et prospero itinere Sur usque advehitur. Obierunt eciam hiis temporibus de transmarinis Florentius, comes Hollandie, Philippus, comes Flandrie, episcopus Herbipolensis et omnes pene nobiles, qui eo tempore tranfretaverant cum Philippo, Francie, et Ricardo, Anglie, regibus, quorum exercitus fuit multitudinis copiose. Eo siquidem tempore fuit abbas Ioachim in Calabria, vir in scripturis plurimum
P. 66. eruditus, qui dictis regibus // et principibus transfretantibus dixit, in spiritu prophetie, quod prima vice in expedicione sua non proficerent, eo quod nondum tempus congruum advenisset.

Post obitum vero dicti Fredrici, imperatoris, principes et optimates expedicionis fidelium filium ipsius, Fredricum, ducem Swevie, virum multum stennuum et prudentem, in ducem Christiani exercitus prefecerunt. Quo duce usque ad Antiochiam est processum, ubi per octo septimanas recreati. Inde usque Tripolim et inde usque Sur, que et Tyrus dicitur, grassante inter ipsos morte plurimorum, cum difficultate pervenerunt; ab inde procedentes, usque ad Acharon.

Cum autem in huiusmodi processu cum Ascolonitis triduano bello conflixissent, dictus Fredricus, filius Fredrici imperatoris, dux exercitus, diem clausit extremum. Quanta autem in corde huius viri fuerit circa Deum devocionis constancia, potest ex eo deprehendi, quod eo decumbente, dum sibi a phisicis suggereretur, ipsum posse curari, si Venere uti vellet, ipse respondit, se malle mori, quam in peregrinacione Dei sui corpus suum libidine maculare. Fuit autem Fredricus, imperator, de quo est principaliter historie narracio, largus, strennuus, facundus et nobilis atque per omnia gloriosus, et in iudiciis adeo rigidus, quod nullius preces neque personam respiceret alicuius, caute considerans, quod qui parcit malis, nocet bonis, et quia facilitas venie incentivum tribuit delinquendi. Mortuo autem, sicut predictum est, glorioso principe, ductore Christiani exercitus Fredrico, imperatore predicto, Fredricus, dux

Swevie, filius eiusdem supradictus, corpus ipsius, cum luctu omnium fidelium, secum deferens // usque Tyrum, que nunc Sur civitas P. 67. dicitur, illud ibidem cultu regio sepelivit.

Tandem Philippus, Francie, et Ricardus, Anglie, reges, Henricus, dux Brabancie, Otto, comes Gelrie, et ceteri Christiani exercitus principes, terram sanctam passim amittentes, ad propria successive sunt reversi.

Rursum ad propositum nostrum redeundo, anno XCVI Balduwinus, episcopus Traiectensis supradictus, discordare cepit adversus Folkerum de Covardia, propter quasdam querimonias fratris sui, Ottonis, comitis de Benthem: et in alterutrum plurima dampna commiserunt. Demum episcopus, collecto magno armatorum exercitu, dampnum sibi illatum in Ottonem, comitem Gelrie, tanquam dicti Folkeri fautorem, ferventer ulcisci decrevit: Veluam intrans et, acceptis spoliis plurimis, eam in parte succendit. Econtra vero Otto, comes Gelrie, cum Trentonibus sibi faventibus, Oetmerschen et quasdam curtes episcopalis camere destruxit et Daventriam ad undecim dies machinis terribilibus infestavit. Sed Henricus, dux Brabancie, cuius negligencia principalis causa huius litis fuit, culpam suam recognoscens, venit, et elaborans treugas modici temporis ex utraque parte, quousque cesar Henricus VI, filius Fredrici, imperatoris, ad inferiores partes descenderet, et inter episcopum et Ottonem, comitem, de dominio Velue per bullam auream imponeret. Quod et factum est. Trentones autem treugas elaboratas inficiaverunt, quum omnes episcopales // redditus in Trentonia Ottoni, comiti P. 68. Gelrie, pro stipendiis assignaverunt. Quapropter episcopus, de prelatorum suorum consilio, secessit ad Maguntiam, ut cesari Henrico hanc novam violentiam manifestaret. Cum autem hic augustus, super tali forefacto valde commotus esset, et Balduwinus, tanquam suo cognato, manuale iuvamen erogasset, ipse presul, die dehinc V, defunctus est. Quo sepulto, Otto, Gelrie, et Theodericus, Hollandie, comites, armipotenter in Traiectum venientes, exosum invidie malum in electione novi pastoris seminaverunt. Quidam enim capitulares elegerunt Theodericum de Hollandia, prepositum ecclesie maioris, fratrem Balduwini, episcopi defuncti: cuius partem assumpsit Theodericus, comes Hollandie, nepos eiusdem, et tota terra

Traiectensis: ceteri vero concanonicorum elegerunt Arnoldum de Ysen-
burch, prepositum Daventriensem: cuius partem assumpsit Otto,
Gelrie comes et tota terra Transysalensis. Henricus autem imperator
dedit Theoderico, cognato suo, investituram episcopatus per annulum
et baculum pastoralem, committens Theoderico, comiti Hollandie,
iurisdictionem temporalem gubernandam, donec diffinitum foret in
curia Romana, quis eorum, dictante iustitia, pontificium obtineret.
Itaque Theodericus, Hollandie comes, propugnator sive tutor episco-
patus existens, in castro, quod Horst dicitur, cum tota curia sua
manere disponens, redditus episcopales ex imperiali precepto studiose
collegit, sed, obstante consilio Ottonis, Gelrie comitis, de partibus
P. 69. Transysalanis nichil omnino recepit, quoniam // omnia ulteriora
fluminis Ysale sue vindicavit potestati. Quapropter idem Theodericus,
comes, adiunctis sibi robustis bellatoribus, tam ex Zelandia quam
Hollandia, universum pagum Velue potenter incendit magnamque
predam multimode facultatis secum asportavit. Nec mora, quin et
Gelrie comes, Otto, contractis pugilum immensis copiis, Hollandie
comitem usque montem Heymonis festinanter insecutus est, quatenus
raptam predam potenter excuteret, et, pro illata sibi contumelia,
crudele bellum ageret. Et ecce, concurrentibus utrisque partibus,
cruentum bellum inhorruit, in quo stridor balistarum, tinnitus
gladiorum, fragor hastarum et hinnitus equorum terribiliter invaluit.
Demum, post utriusque partis horrendum excidium, insperata victoria
cedente Theoderico, Otto, comes Gelrie, multis de suis captis ac
paulative [sic] diffugientibus, trans vadam [sic] in equo cursatili
retrocessit. Hiis itaque gestis, Wilhelmus, orientalis Frisie comes,
hac audita victoria gavisus, primo venit ad Hollandiam, demum
secessit ad Horst, ut fratris sui visitaret presentiam: quem Theo-
dericus, comes Hollandie, frater eius, iussit extemplo per Henricum
Gruůs apprehendi, ac in prisione castri strictissime cathenari. Modico
tamen dehinc elapso tempore, iam dictus Wilhelmus, comes,
disruptis claustris, a captivitate clam exiens, spe protectionis,
P. 70. devenit ad Ottonem, comitem Gelrie: a quo per dies // aliquot
fuit detentus in contubernio magne leticie. Novit enim idem Otto,
comes, eundem Wilhelmum, comitem, in terra sancta virum fuisse
strennuum et illustrem; quapropter dedit ei Adelheidem filiam

suam, in uxorem; ex qua genuit Florentium, patrem Wilhelmi, Romanorum regis, Ottonem, Traiectensem pontificem, Wilhelmum, presidem, Adam, abbatissam Rynsburgensem, et Ricardam, devotissimam monialem. Nuptiis vero magnifice celebratis Staurie, sepe dictu Wilhelmus gloriose receptus est in orientali Frisia.

Interea anno xcviii, Theodericus et Arnoldus, electi pontifices, per sententiam diffinitivam Innocentii, pape, finem litis habuerunt. Arnoldus enim, cui Otto, comes Gelrie, adhesit, primo pontificium obtinens, xxx^{us} consecratus est episcopus: qui, post paucos dies in urbe Romana moriens, ibidem sepultus est. Demum dominus apostolicus dictum Theodericum, cui comes Hollandie adhesit, xxxi^{um} consecravit episcopum, monens, ut continuo rediret ad populum sibi commissum. Theodericus igitur episcopus, Traiecti venire disponens, Papie defunctus est ac ibidem sepultus. Hii vero duo episcopi annis duobus et mensibus tribus sederunt.

Quibus quidem pontificibus ambarum partium, sic, ut premittitur, defunctis, Otto, Gelrie, et Theodericus, Hollandie, comites, eodem anno ab omni discordia, occasione dictorum pontificum inter eos orta, in hunc modum sunt reconciliati, ut Henricus, Ottonis comitis filius, duceret in uxorem Adelheidim, Theoderici comitis filiam. Sed hii ambo, post modicum temporis sine liberis defuncti, in Reynsberch // monasterio, luctuosis exequiis inhumati sunt. P. 71.

Ceterum post dictorum duorum pontificum repentinum decessum Otto, Gelrie, et Theodericus, Hollandie, comites supradictam universalem ecclesiam Traiectensem, in quantum poterant, pro suis amicis personaliter sollicitabant; sed minime exauditi, quia universalis ecclesia ipsa Theodericum de Aere, propositum sancti Servatii, Traiectensis superioris, in episcopum elegit. Contra quem quidem episcopum prefati comites conspiracionem validam inierunt, pro eo, quod idem pontifex adversus Wilhelmum, comitem orientalis Frisie supradictum, pridem movisset hostilem contencionem. Quapropter Otto quidem, Gelrie comes, totam terram Transysalanam, propulsis officialibus episcopi, dicioni sue subiecit. Daventrienses vero dominum suum episcopum penitus spernentes, Ottonem, comitem, pro eorum domino et defensore receperunt, quorum civitatem ipse comes suo satellicio communivit. Theodericus autem, comes

Hollandie, totam terram Cisysalanam depopulans fixisque papilionibus Traiectum in gyrum vallavit. Sed, ecce, prefatus comes Gelrie, Otto, eo tempore ab Henrico, duce Brabancie, sub conductu regis Ottonis IIII et Adulphi, archiepiscopi Coloniensis, dolose captus est, cum ad eum in pace descendisset. Quam ob rem Theodericus, comes Hollandie, volens Ottonem, comitem, socium suum, eruere de captivitate ducis, dissolvit obsidionem ab urbe Traiectensi, castrum
P. 72. Tyell spoliavit et incendit, ac opidum ducis, quod Buscum // dicitur, circumdedit in manu forti: quod tandem, die VII mensis Septembris, armipotenter intrans, Wilhelmumque, fratrem ducis, Henricum de Busch, Henricum de Kuyc cum plerisque nobilibus et militibus cepit, et cum preda multimode suppellectilis ad Hollandiam navigare decrevit. Henricus igitur, dux Brabancie, precellens princeps dampnum sibi illatum egre ferens, in ulcionem iniurie, manum validam tam suorum quam aliorum principum, potentium, nobilium, interim ad auxilium suum invocaverat: utpote Adulphi, Coloniensis archiepiscopi, Hugonis, Leodiensis episcopi, ducis Limburgie, comitis Flandrie, et aliorum quorundam comitum, quos de diversis contraxerat partibus; eundem imperterritum comitem Theodericum, cum suis sibi viriliter occursantem, apud Huesden festinanter insecutus, bello aggreditur, captivavit et spolia reaccepit. Nec mirum. Testati sunt enim, qui in presenti certamine fuerunt, mirabile fuisse, quod tam valido excercitui, tot principibus comes occurrere presumpsit, presertim cum exercitus eius in unum adhuc minime convenisset. Sed hoc discrimen provenit ei, tum ex pertinacis animi minus circumspecta prudentia, tum animosa priorum victoriarum fiducia; et in se profecto didicit, quod idem Deus est, qui exaltat et humiliat. Preterea Theodericus, episcopus, intendens tam Hollandiam quam Gelriam absque defensoribus, desolatos coadunavit
P. 73. blandimentis et donis electam miliciam, cum qua festinanter // est ingressus Hollandiam, prope Mydrecht; ubi cuncta invadendo, devastando, incendendo ad libitum voluntatis sue, predam copiosam extemplo contraxit: quam, instante noctis umbra, secum infra muros urbis Traiectensis abduxit. Crastina dehinc die, orta luce, cum aurore iubar graminosam terre superficiem stillicidio roris aspergeret, idem episcopus, de procerum suorum consilio, pagum Velue, cum

expedita milicia intrans, eam omnino depopulando et magnam pecuniam extorquendo, exussit: Zutphaniam, obsidione cingens, cepit, obsides ad libitum inde recepit et secum duxit. Et exinde Daventriam, nemine se defendente, intrans, a fautoribus capti comitis Ottonis et ditioribus civibus determinatis, maximam gazam acquisivit.

Tandem anno eodem Henricus, dux, Theodericus et Otto, comites, reconciliantur. Sed, prout Leodiensis canit cronica, faciente Hugone eorum episcopo, dux Brabancie libere remittit comitem Gelrie et indebitam exactionem viro; ac, solutis a Theoderico duobus milibus argenti, pro dampno illato, a captivitate solvuntur. Et depost ambo brevi supervixerunt tempore. Nam Theodericus, comes, evolutis tribus annis, moritur; cui, post multarum guerrarum discrimina, successit germanus suus Wilhelmus, orientalis Frisie comes, qui ipsius Ottonis, Gelrie comitis, filiam Adelheidim, ut prefertur, habuit in uxorem.

In cronicis autem Brabancie aliter invenitur, videlicet: Quod anno Domini MCCII, Henricus, dux, hos prepotentes comites in bello captivavit, sed eodem anno eos dux a captivitate relaxavit, ac sibi, per quosdam amicabiles internuncios hac condicione reconciliati sunt, ut Margaretam, ducis // filiam, elegantis forme puellam, P. 74.
Gerardus, comitis Gelrie Ottonis filius, duceret sibi in uxorem.

Post hec Henricus, dux Brabancie, quod Leodienses cum eorum episcopo Hugone, Ottoni IIII, imperatori, obedientiam subtraxerunt seque eidem submittere noluerunt, assistente sibi Ottone, comite Gelrie, anno Domini MCC, Leodium violenter cepit et intrans spoliavit, Tungrim incendit pro magna parte et Hasbanie villas.

Ex tenore, inquam, cuiusdam littere, de datis anno Domini M ducentesimo IIII, quam Otto, comes Gelrie, ecclesie sancti Lamberti Leodensi exhibuisse asseritur, deducitur: Quod ipse comes universum allodium in hominibus, pratis, silvis, aquis, terris cultis et incultis, quod possidebat a Traiecto superiori usque Ruremunde, videlicet et Ruremunde, Dirte, Glene et quicquid eis adiacet, ecclesie Leodiensi et ipsius episcopo Hugoni suisque successoribus, pro salute anime sue et predecessorum suorum, sub testimonio per manus liberorum hominum cum ramo et cespite super altare reportans, in elemosinam

contulit: et ab eodem episcopo Leodiensi prefatum allodium in
feodum recepit, et homagium et fidelitatem ei fecit: quodque eciam
universi heredes comitis, sive filius sive filia, successive in posterum
prefato modo ab episcopo Leodiensi, sese fidelitate et homagio ei
astringentes, sunt recepturi. Et ipse comes eiusque homines ecclesie
Leodiensi et episcopo iuraverunt, quod eos in tuitione iuris sui,
toto eorum posse, fideliter iuvabunt et modis omnibus semper
assistent. Similiter episcopus et ecclesia Leodiensis cum hominibus
P. 75. suis, duce de Lymporch, // de Namur et de Loys, comitibus, et
cum aliis multis hominibus de familia ecclesie Leodiensis, comitem
Gelrie et suos assecuraverunt eisque iuraverunt, quod eos in eorum
iure iuvabunt et eis semper contra quoscunque assistent.

Porro ipsius comitis Ottonis temporibus, Alardus, comes de Novimagio, et uxor eius Uda hospitale sive domum ordinis sancti Iohannis Iherosolimitani apud Novimagium, in fundo habitacionis eorum, propriis sumptibus et laboribus construxerunt ac de bonis suis, que ipsorum fuerunt in Heze, Ewyck, Werchen, Wosyke et locis aliis, eidem hospitali sive domui iuste contulerunt. Quam quidem fundacionem et dotacionem, cum dictis bonis collatis et conferendis, Henricus VI, Romanorum imperator et Sicilie rex antedictus, ad ipsius comitis Alardi et Ude, eius coniugis, instanciam, in specialem maiestatis sue protectionem recipiens, anno Domini MCXCVI, indictione XV, XIII Kalendas Novembris, auctoritate cesarea confirmavit, uti in litera solempni desuper habita et apud dictam domum sancti Iohannis Novimagensis conservata, lucidius intuetur. Que vero domus Novimagensis postmodum per quendam dicti ordinis Iacobum, episcopum Sudensem, in pluribus bonis, redditibus et edificiis reperitur decorata. Consuevit enim pristinis temporibus imperium Novimagense a prefato Alardo et aliis, tunc comitibus appellatis, auctoritate imperiali gubernari, quod nunc a borchgraviis, per principes Gelrie constitutis, solitum est gubernari.

Hic itaque Otto, comes, princeps fuit imperterritus, in omni
tempore vite sue bellicosus; quapropter principibus omnibus acceptus,
P. 76. ac in curiis imperatorum // multum famosus: unde a munificis
principibus donacionem Velue sua probitate obtinuit, eamque comitatui
Gelrie adiecit. Nec non et multa alia predia atque possessiones

largas filio suo Gerardo hereditarie possidendas reliquit. Demum postquam ipse comes Otto Gelrie et Zutphanie comitatibus xxxii annis, ab obitu fratris sui, comitis Gerardi, digne et laudabiliter prefuisset, anno Domini mccii, tempore Philippi et Ottonis, Romanorum regum, vita exemptus, in monasterio Campensi, apud patrem suum, comitem Henricum, honorifice extitit tumulatus.

Gerardus iii, comes Gelrie et Zutphanie, anno Domini mccii, post Ottonis patris sui obitum, ad ipsorum comitatuum accessit honorem. Huic quidem comiti fuit uxor Margareta, filia Henrici, ducis Brabancie, de qua genuit Ottonem iii, comitem, et Henricum, Leodiensis ecclesie pontificem. Hic enim Gerardus, comes, princeps bellicosus et devotus, a primeve iuventutis sue tempore, pro terrarum suarum defensione magis adamavit rigorem ferri, quam nitorem auri. Sed patris sui Ottonis dispendiosa vexatio dedit tandem auditui suo intellectum, adeo quod primo milicie sue tempore armorum strennuitatem ac morum suorum ingenuitatem, quibus inter ceteros primates excellenter viguerat, non mundo sed Deo et ecclesie fideliter et devote exhibere studuit. Ipsius namque Gerardi, comitis, genitrix Ricarda, anno xx, solempne monasterium monialium, ordinis Cisterciensis, // in Ruremunda, per Engelbertum de Monte, P. 77.
archiepiscopum Coloniensem, anno xxiiii consecratum, magnifice a fundamentis erexit et dotavit; cuius ipsa Ricarda prima facta fuit abbatissa. Et cum eidem monasterio vi prefuisset annis, post ipsius Gerardi filii sui obitum, anno xxxi in choro meridiali eiusdem monasterii sepelitur. Quodque eciam monasterium civitati Ruremundensi dedit originem, que ante hec tempora usque ad Ottonem, filium Gerardi, comitis, villa esse consueverat.

Dictus eciam comes, excercende devocionis sue causa, in monasterio Campensi magnam edificari fecit domum, adhuc inibi existentem: in qua ipse cum electa sua milicia, singulis annis dies quadragesimales, ut fertur, in Domino celebrare solebat.

Interea anno Domini mcciii, defuncto Theoderico de Aere, episcopo Traiectensi antefato, Gerardus, comes Gelrie, et Wilhelmus, comes Hollandie, frater Theoderici, comitis defuncti, qui ipsius comitis Gerardi sororem habuit in uxorem, ad electionem novi pastoris,

cum maximo apparatu convenerunt in Traiectum; adducentes secum Adulphum, archiepiscopum Coloniensem, Ottonem Monasteriensem et Gerardum Osnaburgensem, episcopos, et in maximo numero nobiles et proceres. Quorum principum piis precibus generalis ecclesia Traiectensis Ottonem, primum prepositum Xanctensem, fratrem ipsius comitis Gelrie Gerardi, eligebat in pontificem. Hic Otto, iuvenis bone spei, diaconus ordinatus, XVIII annos tantum habens, corpore longus et formosus, facie pulcherrimus, conversacioni et
P. 78 moribus compositus, qui // propter eius virtutes et merita ab omnibus amabatur, duobus annis et dimidio prefuit ecclesie in multa pace; et cum Romam super minoris etatis dispensacione ire disponeret, gravis eum febris in Voerthusen, prope Altinis, invasit et debitum carnis, proch dolor, adimplevit. Corpusque eius devectum est Traiectum, et in ecclesia maiori, honore congruo, sepultum.

Ipse eciam Otto, episcopus, fratri suo Gerardo, comiti Gelrie, contulit in feodum decimas de novalibus in Velua, que omnes prius ad episcopum Traiectensem pertinebant, sub condicione: Ut comes et sui heredes nunquam manum mitterent in decimas ab ecclesiis possessas. Hanc conditionem idem comes, pro se et suis heredibus, in generali capitulo Traiectensi iuravit perpetuo observare.

Sepulto namque, ut supra dictum est, Ottone, episcopo, prelibati comites, Gerardus et Wilhelmus, in exequiis ipsius presentes, obtinuerunt in generali capitulo, supplicacionibus assiduis, ut Otto de Lippia, prepositus Traiectinus, filius sororis Theoderici de Hollandia, episcopi supranominati, episcopus concorditer est electus.

Istis nunc diebus, videlicet anno Domini MCCX, predicata est crux contra Albienses, quorum error brevi tempore invaluit et infecit mille civitates per Alamanniam et Franciam. Annoque sequenti etiam ascenderunt contra eos de Alamannia Lupoldus, dux Austrie, Engelbertus, tunc prepositus, postea archiepiscopus Coloniensis, et frater eius Adulphus Montensis et Wilhelmus Iuliacensis comites, et multi alii nobiles. Similiter actum est in Francia, in
P. 79. Pictavia, // Normannia et aliis multis partibus. Predicator autem crucis fuit Arnoldus, abbas Cisterciensis, postea archiepiscopus Narbonensis, de mandato domini et episcopi Portuensis, cardinalis, legatus missus contra Albienses. Et venientes ad civitatem magnam,

que Biders dicitur, obsidebant illam. In quorum exercitu heretici, mingentes super volumen sancti evangelii, proiicientes idem de muro contra Christianos, clamantes: »Ecce, miseri, lex vestra," multaque convicia et inproperia facientes et dicentes. Quidam vero satellites de excercitu Christianorum, zelo fidei accensi, similes leonibus, scalis appositis, muros ascenderunt, hereticisque divinitus territis et declinantibus, predicti Christiani satellites portas et civitatem obtinuerunt. Ibi vero plus quam centum milia hominum interfecta sunt, boni cum malis, ne post eorum recessum ad perfidiam redirent; nam Deus novit, qui sunt eius.

Expost anno XI obtinuerunt aliam magnam civitatem apud Tholosam, que Vallis dicitur; et populus, promittens se velle ad fidem, ad veniam susceptus est: quadringenti autem et quinquaginta, in sua pertinacia obstinati, combusti et patibulis suspensi sunt. Sicque eciam in pluribus civitatibus actum est. Tholosani autem artati promiserunt omnem satisfactionem: sed, ut postea patuit, in dolo perseveraverunt.

Albienses autem anno XII regem quendam paganum in auxilium sibi invocabant, qui cum incredibili multitudine armatorum venit, ut totam Europam se posse obtinere speraret. Sed eodem anno XII, XVII Augusti, de excercitu suo occisi sunt LX milia pugnatorum. Ipse vero // in Siciliam se transferens ex dolore mortuus est. Et P. 80.
sic, gratia Dei, ecclesias, civitates obtinentes, ad veram Christi fidem salubriter reduxerunt.

Huiusmodi, inquam, temporibus, Otto de Lippia, episcopus Traiectensis supradictus, anno XXII, de Iherosolimitana expedicione cum Fredrico II, Romanorum imperatore, reversus, terram suam per fratrem suum Hermannum bene pacatam invenit. Nichilominus tamen maximis discordiis adversus Gerardum, comitem Gelrie, promotorem suum, se involvit. Gerardus namque comes plures quondam vasallos habuit in terra Zallandie, qui per villicos episcopi graviter exactionati sunt, adeo, quod bonis temporalibus multum inopes effecti sunt; quapropter idem comes homines episcopatus apud theolonium Lobeeck arrestari fecit, et vice versa depauperabat. Quam guerram Engelbertus, archiepiscopus Coloniensis, pro tunc sedavit. Aliis tamen discordiarum sementibus inter comitem et episcopum denuo emergentibus, comes cum militaribus et cum incolis Zallandie,

contra dictum iam pontificem conspiravit. Episcopus autem, auxilio Theoderici de Ysenburch, Monasteriensis episcopi, ac Hermanni, fratris predicti, copiosum congregavit exercitum, ut vicinas villas comitatus Gelrie potenter incenderet et rebelle volgus de terra Zallandie victoriose compesceret. Econtra iam dictus populus, eodem auxiliante Gerardo, comite, penes Arkele congregatus in aggere, decrevit omnibus modis episcopo resistere. Sed episcopus in fremitu
P. 81. hostes viriliter aggressus, quosdam occidit, plures // cepit et omnes alios cum victoria profugavit. Cuius milicie fuerunt capitales duo, Hermannus de Voerst et Theodericus de Buchorst, qui primitivam suscitaverunt rebellionem ac universum Zallandie populum ad illicitam conspiracionem suscitaverunt. Horum igitur duo castra Voerst et Buchorst strennue impugnavit et favillatenus inflammavit. Illos vero et ceteros sibi contrarios in pecuniam, pro sua voluntate, punivit. Comes quidem Gelrie, pro victoria pontificis indignatus estate sequenti Walramum, ducem Lymburgensem, ac Henricum, comitem Zeynensem, cum duobus milibus militum in ipsius auxilium invitavit; et Florentium, iuvenem Hollandie comitem, nepotem suum, sibi complacare conquisivit, qui continuo Lakam ascendit cum infinito navigio, et episcopalem domum, cum villa Gheyn, hostili conflagravit incendio. Econtra dictus episcopus, auxilio Gerardi, Bremensis archiepiscopi, fratris sui, Theoderici, Monasteriensis episcopi, propinqui sui, ac Hermanni de Lippia, germani sui, mille equites aggregavit et adversus antedictos principes intrepide bellum instaurare decrevit. Sed, ecce, Conradus, Portuensis episcopus et apostolice sedis legatus, ex insperato venit ad locum certaminis, suspendens iam inchoatum prelium, et de consensu partis utriusque tale promens arbitrium: Quatenus comes Gelrie advocatiam de Buchorst per Zallandiam beato Martino traderet, et episcopus eidem allodium Clisterem Montisque Odilie, excepta prepositura, et vasallos acceptos, in feodum restitueret; comes insuper Hollandie pro
P. 82. ministerialibus suis octingentas // libras haberet, ac eosdem ecclesie Traiectensi, manumissione facta, libere resignaret. Et sic omnis controversie discordia inter dictos principes placabiliter est sopita.

Item quere in precedenti tertio folio [75] tali signo |̬ unum passum, qui incipit: Porro ipsius comitis et legati, usque: Hic itaque Otto, in isto loco presenti. 1)

Deinde anno XXV, tempore Gerardi, comitis, commissum est civile bellum inter Egbertum, prefectum Groningie, et Rodolphum, castellanum Covordie. Quapropter Otto, episcopus Traiectensis, manu forti Groninghiam perrexit et pacificas treugas, sub indictione mortis, ab utraque parte observari precepit. Sed Rodolphus, recedente episcopo, rebellare non timuit, infectisque treugis castrum Egberti destruens et Groninghiam potenter introiens, Egbertum ad Frisiam effugavit. Idcirco anno XXVII, Otto, episcopus, electis undique bellatoribus convocatis, eundem Rodolphum, Covordie castellanum, a civitate sua Groninghie propellere et castrum suum Covordie potenter evertere proposuit. Unde Gerardus, comes Gelrie, iure fidelitatis ab episcopo requisitus, sibi auxilium prestare non distulit intrepidus. Nam confestim, coadunata copiosa turba plebis ac milicie, in terris Trentonie episcopo personaliter venit in adiutorium. Consimiliter Florentius, comes Hollandie, robustam miliciam eidem destinavit. Theodericus de Clivis et Balduwinus de Benthem, comites, sibi prestiterunt manuale subsidium. Henricus, archiepiscopus Coloniensis, et Ludolphus, episcopus Monasteriensis, eciam episcopo adop//tatum auxilium transmiserunt. In quibus omnibus pulcher P. 83. exercitus apud Annent congregatus est: ubi episcopus, fixis castris, per diurnum cum antedictis principibus plerumque gavisus est; qui, dictante principum sententia, Rodolphum a bonis suis ibidem proscripsit ac omnibus adiutoribus suis indulgentiam et remissionem peccatorum predicavit. Rodolphus vero perpendens episcopi magnipotentiam non posse resistere, aufugit a civitate Groninghie ad castrum suum Covordie, premeditans quod latissima palude situata foret in medium. Alterna vero die, in festo Pantaleonis martyris cum emicantibus radiis iubar aurore accresceret, Rodolphus, comes de Ghoere, beati Martini vexillifer, cum episcopo, comite Gelrie, et

1) Haec verba, quae Codex h. l. habet in textu scripta, sed minoribus literis, significare videntur, huc traducenda esse, quae in superioribus narrata extant de origine aedificii hospitalis, sumptibus Alardi eiusque uxoris Udae constructi; quae quidem in hac nostra editione leguntur p. 52.

aliis antecessit principibus et armigeris: quem totus exercitus letus et quasi de victoria certus, diffuse et inordinate, cum diversis armaturis bellicis est subsecutus. Sed, heu, acerrimi bellatores ac pugiles episcopalis exercitus contra hostes primam gubernantes aciem, armorum sarcina pregravati, paulatim in ipsis paludibus fetidis et mortuis, proch dolor, vivi submersi sunt; qui non solum a Trentonibus verum eciam a militaribus, misero mortis genere, crudeliter interempti sunt. Inter quos eciam bonus Bernardus de Horstmar, vir nobilis, a iuventute propter virtutes suas famosus, apud proprium imperatorem et regem Anglie acceptissimus, vita extinctus est.
P. 84. Ceteri quidem plerumque sauciati, // per repentinam fugam, ab hostibus vix elapsi sunt. Rodolphus autem, cum quibusdam equitibus tota nocte fugitivos insecutus, victualium apprehendit magnam partem et cum multis captivis reversus est ad Covordiam: ubi, Deo permittente, Gerardus, comes Gelrie, graviter volneratus, cum Balduwino, comite de Benthem, Ghiselberto, domino Amstelrelandie, et quam pluribus aliis ad captivitatem ductus est. Otto vero episcopus in palustri loco captus, ibidem per diversa tormentorum genera dire martirisatus est; nam felliti carnifices coronam suam cum cruenta carne gladiis acutissimis abraserunt: quem demum, post opprobria multa, in locis immundissimis conculcarunt. Ceciderunt autem de populo in ipso conflictu cum episcopo suffocati, submersi et interfecti amplius quam quadringenti milites multique alii nobiles armigeri et bellatores egregii. Occiso igitur Ottone, episcopo, Florentius, Hollandie comes, cum ceteris principalibus ecclesie vasallis, Traiectum advenit, qui pro suo consanguineo, Padeburnensis ecclesie pontifice, filio comitis de Oldenburch, supplicatorias preces fudit. Cum autem universale capitulum deliberationem super hoc caperet, ut devotas instancias eiusdem comitis admitteret, ecce, comes Gelrie Gerardus et Ghiselbertus, dominus Amstelrelandie, letaliter volnerati et per breves inducias a captivitate dimissi, decumbentes in culcitris, delati sunt in capitulum, qui exorando flagitabant ab ecclesia
P. 85. sue redempcionis auxilium et dicti // Willibrandi ad ipsam ecclesiam promotionem. Quibus visis universus clerus amare lacrymatus est, et dolor populi de nece pontificis renovatus est. Quamobrem idem episcopus Padeburnensis, tanquam idoneus vindex, postulatus est

episcopus: vir constans, audax et ingenuus, quem Gregorius IX de Padeburnensi transtulit et, cum apostolica benedictione, Traiectum adiecit. Hic vero novus pontifex, in Traiecto pro tribunali sedens, dictante sententia principum, principalium vasallorum, comitem Gelrie, dominum Amstelrelandie, cum ceteris captivis, a captivitate Rodolphi, castellani Covordensis, absolutos esse iudicavit, quoniam idem castellanus, tanquam proscriptus grassator et exlex, suum verum dominum indigna morte pridem occiderat. Anno vero sequenti Rodolphus de Covorden, cum Henrico de Ravensdorp, obtentis quindecim dierum treugis, adiit castellum Hardenburch, et de composicione pacis cum episcopo Willibrando tractare cepit. Sed castrenses eos, contra voluntatem episcopi, ceperunt et rotatos in stipitibus exaltarunt. Exinde ipse episcopus Covordenses et Trentones subiugavit et tribus milibus marcarum gravium ab eis pro expensis acceptis, veniam tribuit. Et pro emenda occisorum et submersorum a Rodolpho et suis complicibus claustrum sanctorum monialium in Swartenwater a Trentonibus et Covordensibus est fundatum et dotatum.

Porro anno Domini XXV, Engelbertus, archiepiscopus Coloniensis, de Monte in Gelria genitus, propter nimiam correctionem, quam de servanda pace in tiran//nos exercuerat, a Fredrico, comite de Ysen- P. 86.
burch, fratre quidem Adolphi V, ultimi comitis de Altena et primi Markensis, ad suggestionem uxoris sue, per famulum suum Rydenkatem, VII Idus Novembris, in festo sancti Willibrordi advesperascente ieiunus, prope Gevelsberch, XLVII volneribus confossus, martyrio, ut legatus pape Conradus, Portuensis episcopus, predixerat, fuit coronatus. Quo facto idem Fredricus, comes, actor mali, a papa Honorio eiusque legato predicto et rege Romanorum Henrico excommunicatus et bannitus, veluti Caynus vagus et profugus, mundum discurrens, nusquam acceptus neque tutus; et similiter omnes eius complices. Tandem per amicos Engelberti insecutus, in diocesi Leodiensi per quendam Balduwinum de Genepe capitur, ac Gerardo, comiti Gelrie, qui erat advocatus ecclesie Coloniensis, presentatur; Colonieque ductus per eum morti adiudicatus, eodem anniversarii die, quo archiepiscopum peremerat, extra portam sancti Severini, tanquam vilis latro, rotatur et penditur: ubi adhuc [ad]

perpetuam rei memoriam columpna lapidea conspicitur, nutrice sua sub rota stante et clamante : »Hec sunt intestina mea, a corvis devoranda." Tale enim sompnium vidit inpregnata. Episcopus autem infinitis miraculis, sed post vindictam nullis, choruscavit.

Insuper dicti comitis Fredrici castrum Ysenburch, quod inexpugnabile videbatur, per Henricum, archiepiscopum Coloniensem, in ulcionem predecessoris sui Engelberti, obsidetur, expugnatur et soletinus destituitur. [sic]

P. 87. Tandem dicti comitis Fredrici iudicati // fratres, Theodericus Monasteriensis, et Bruno Osnaburgensis, ecclesiarum episcopi, apud papam Honorium fuerunt accusati et citati eo, quod contra pontificem Engelbertum, cum comitibus de Tekelenburch et Swalenburch, nunc de Lippia dictis, conspirassent; fueruntque propterea ab eorum ecclesiis privati et expulsi. Quo tamen in exilio mortui sunt, penitus ignoratur. Consequenter vero papa Honorius contra predictos de Tekelenburch et Swalenburch, comites, et universos, qui conspiracionem quondam contra Engelbertum fecerant, crucem decrevit. Et mediante Ludolpho de Holte, episcopo Monasteriensi, in locum Theoderici episcopi predicti constituto, predicavit, totumque imperium et presertim Henricum, ducem Brabancie, Adulphum de Monte, ipsius archiepiscopi germanum, Gerardum Gelrie, eorum nepotem, Gerardum, Iuliaci, et Swidonem, Flandrie Hollandieque comites, atque universos archiepiscopos et episcopos de Alamania, principes et nobiles, militares, populares et burgenses in vindictam prefati Engelberti occisi, incitavit; qui terras prefatorum comitum in villis, silvis, munitionibus, fortaliciis, arboribus et omnibus, in quibus devastare potuerunt, funditus deleverunt, destruxerunt. et annichilaverunt. Et in hiis terris penitus nil nisi castrum solummodo Tekelenburch et Swalenburch permanserunt: que tam diu obsederunt, quousque ipsi comites sub gratia se captos reddiderunt, de occisione ipsius archiepiscopi se solempniter excusantes. Sed, quod contra eum
P. 88. conspirationem fecerant, duo claustra fundaverunt // et se ipsos inclaustraverunt. Eorum tamen posteritas, prout prius, postmodum in altum non surrexit, cum pauca filiis eorum relicta sunt de ipsorum dominiis.

Hec vero de Engelberto ex cronicis Treverensium et Monasteriensium et Markensium collecta, in cronicis Coloniensibus lacius sunt conscripta.

Prefati eciam Gerardi, comitis, temporibus, videlicet anno xxviii, abbas et conventus insule beate Marie virginis curtem suam in Zenwenden, prope Tyelam, ad construendum ibidem monasterium sanctorum monialium ordinis Premoustratensis resignarunt: quod eodem anno per nobilem matronam dominam de Smythusen inceptum est, et anno sequenti per Willibrandum, episcopum Traiectensem, consecratum existit.

Ipse autem Gerardus comes emit a Conrado, abbate, et capitulo sancti Vincentii in Oesbroec, ordinis sancti Benedicti, prope Traiectum, omnia bona, que habebant in villa de Ghent, Bethue: quam vendicionem Henricus, rex in Almania, supradictus confirmavit. Que quidem bona per Ottonem, filium suum, comitem succedentem, ad monasterium Vallis Comitis, per eum fundatum, sunt collecta.

Denique anno xxix, in crastino sanctarum xi milium Virginum (1), Gerardus, precellens comes Gelrie et Zutphanie, postquam patrie sue magnifice xxvii annis prefuisset, carne exutus, tempore Fredrici secundi, patris dicti Henrici regis, spiritum Deo commendans, in monasterio suo Ruremundensi, per Richardim suam genitricem ipsius ope fundato, honorifice tumulatur. Margareta ipsius Gerardi, comitis, conthoralis apud eundem comitem in mauseolo excelso, imaginibus ipsorum lapideis suprapositis, // anno P. 89
xxxi, v die mensis Maii, luctuose inhumatur.

Otto iv, comes Gelrie et Zutphanie, princeps strennuus et magnificus, anno Domini mccxxix, tempore Fredrici secundi, post genitoris sui Gerardi, comitis, obitum, ipsorum comitatuum assecutus fuit principatum. Hic Otto, dictus comes cum corvo pede, moribus pius fuit ac virtuosus, in elemosinis largus, in bellis victoriosus; patriam suam in multis reformavit et dilatavit: nam Ruremundis, Arnhem, Hardewyck, Goch, Bomell et Waghenynghen primus in civitates commutans, muris cingi licentiavit, ac iuribus et privilegiis civilibus munifice libertavit. Insignemque urbem Novimagensem cum eius imperio, ut infra patebit, suo adiecit dominio.

Constat Ottonem, comitem, successu temporis, binas habuisse

(1) Hic dies est xxii mensis Octobris.

conthorales: primo Margaretam, filiam Theoderici, comitis Clivensis;
pro cuius dote ipsi Ottoni, comiti, per eundem Theodericum x milia
marcarum fuerunt assignata. Cum qua quidem Margareta comes
Otto solempnissimum monasterium sanctorum monialium Vallis
Comitis, prope Goch, ordinis Cisterciensis, fundavit, quod magnis
prediis et possessionibus largiflue dotavit. Ipsa vero Margareta de
Clivis, anno LI, X die mensis Septembris, sine liberis defuncta et
in ipso monasterio sepulta, comes Otto Philippam, filiam comitis
Sancti Pauli, sive de Sympoll, sortitus est in uxorem: de qua
genuit Reynaldum primum, comitem succedentem, et Ermegardim,
nuptam Theoderico, comitis Clivensis Theoderici primogenito; quod
quidem coniugium Henricus, Lotharingie et Brabancie dux, inter
P. 90 ipsos // comites Gelrie et de Clivis, arbiter comitis, ab utraque
parte ad hoc electus, tractavit, ipsis vero coniugibus adhuc pueris
et in annis innubilibus existentibus. Ex quibus vero, Theoderico
post obitum patris sui Theoderici in comitem Clivensem promoto,
et conthorali sua, Ottonis comitis filia, processit Otto, comes
Clivensis: de cuius proximiore sanguine, secundum veram linea-
cionem, uti superius deductum existit, Arnoldus, dux Gelrie,
dinoscitur descendisse.

Prefati namque Ottonis, comitis Gelrie, vasalli fuerunt et feodales, dominus de Borne et comes Lossensis. Nam Goswinus, dominus de Borne, anno XXXIII, dominium suum de Borne, cum omnibus attinentiis suis, ab ipso Ottone, comite, in feodum accepit, ita quod dictus Goswinus comiti Gelrie contra universos, dempto comite Lossensi, cum suis heredibus debeat servire. Ac Arnoldus, comes Lossensis et de Thineo, anno LIII, recepit ab ipso Ottone, comite, suo consanguineo, in feodum castrum de Stochem et villam Dyhem, cum pertinentiis et attinentiis suis, ab ipso Ottone suisque heredibus possidendam. De quo quidem feodo eidem comiti prestitit homagium.

Sub huius quidem Ottonis, comitis Gelrie, principatus initio, Novimagenses primo inceperunt uti et gaudere privilegiis imperialibus ad instar regalis civitatis Aquensis, eis per dive memorie Henricum septimum, Romanorum regem, lantgravium Thurynghie, filium sancte Elisabet, anno MCCXXX, gratiose concessis, et post-

modum per suos in Romano imperio successores, ut // superius P. 91.
clare deductum existit, auctoritate cesarea, largiflue confirmatis, renovatis et ampliatis.

Deinde anno Domini MCCXXXIIII, predicata fuit crux contra Statinghos, eo, quod ad ritum paganismum redierunt. Unde Henricus, dux Brabancie, Florentius, comes Hollandie, et Theodericus, comes Clivensis, de mandato Gregorii, pape IX, cum magno exercitu perrexeruut Statinghen, Bremensis diocesis, et, habita victoria de eisdem, infinitam multitudinem virorum, mulierum et puerorum occiderunt.

Depost anno eodem idem Florentius IIII, comes Hollandie XIII, pater Wilhelmi, Romanorum regis, per comitem Claremontensem, in quodam tyrocinio crudeliter interemptus est Theodericus vero, comes Clivensis predictus, ob vindictam cognati sui Florentii, comitis Hollandie, comitem Claremontensem, cum Theutonicis, in predicto tyrocinio immediate occidit.

Succedentibus eciam temporibus, videlicet MCCLI, maxima multitudo pastorum, ex diversis regionibus congregata, sub titulo crucis, currunt Iherosolimam, volentes ferre subsidium terre sancte. Sed per quosdam flagitiosos viros ad tantam perniciem deducti sunt, ut in multis partibus Gallie civitates et populos invadere et destruere conarentur. Sed tandem, auctore Deo, in diversis locis citissime perierunt.

Eiusmodi siquidem temporibus Fredricus II, imperator antedictus, ab Honorio, papa, dudum excommunicatus, per Innocentium IIII ab imperiali dignitate destitutus est; et Henricus VII predictus, per officiales imperii, Romanorum rex est electus. Sed idem Henricus paucos supervixit annos: quapropter // idem Innocentius, P. 92.
de consilio generali, Petrum de Caputiis, ad velum aureum circa sancti Georgii diaconum cardinalem, legavit in Germaniam, monens, ut officiales iterato regiam celebrarent electionem. Electores itaque convenientes apud pagum Worynge, Coloniensis diocesis, anno XLVIII, Wilhelmum, comitem Hollandie, vicesimum primum annum etatis sue agentem, iuvenem strenuuum et in omni disposicione corporis sui collaudandum, ipsius Ottonis, comitis Gelrie, consanguineum, in Romanorum regem concorditer elegerunt. Quem Bohemorum rex,

iuxta regulas militaris ordinis, in ecclesia Coloniensi, sub summa missa, per dictum legatum celebrata, in omnium officialium et aliorum principum imperii in magna multitudine congregatorum, presentia, solempniter in militem creavit.

Hiis itaque peractis, III die sequenti, tubicinatum est castra tollere et regiam civitatem Aquensem, huiusmodi electionem non consentientem sed partibus antedicti Fredrici depositi adhuc faventem, obsidione cingere. Nec mora. Inde idem electus cum universa ista principum, tam spiritualium quam secularium, multitudine, (in quorum comitatu dictus egregius comes Otto ipsius electi erat director,) papiliones in girum erexit, civitatem undique obsidione cingens. Tandem per ingeniosos viros decretum est, ut populare volgus vallum procere celsitudinis extrueret et urbem in modum aggeris undique cingeret; et quod civitas, in convallibus montium sita, aquis plurimis sulphureis est irrigua multisque fontibus limpidissimis superhabunde fluida,
P. 93. ideoque semper // inundans, aqua nullibi habens defluentem meatum, ideoque breviter incepit exuberare, ut nullus civium absque navigio propriam domum commode posset exire. Hoc ergo gravi dispendio burgenses afflicti, promiserunt electo regi portas urbis absque rebellione patefacere, et eundem pro vero domino suscipere, ut circumseptum vallum infringi preciperet, ac inundantem aquam consueto meatu manare permitteret. Igitur post sex septimanas ipsius obsidionis infracto vallo, electus ultima die mensis Octobris, urbem ingressus, eam in deditionem accepit. Postera vero die, que est Omnium Sanctorum, festiva solempnitate universe multitudinis prelatorum et principum ad basilicam beate Marie virginis deductus, secundum ritum antique consuetudinis, in Romanorum regem solempniter fuit coronatus. Post hec autem circumstantes principes, adorantes maiestatem regiam, acclamaverunt ipsi salutem, laudem et gloriam: accedentesque singulatim primates ad regale solium, prestiterunt ei debite fidelitatis homagium.

Rursum antedicte obsidionis urbis Aquensis [tempore] ipse tunc Wilhelmus, in Romanorum regem electus, attente considerans in menteque revolvens, dictum carissimum consanguineum suum, Ottonem, nobilem comitem Gelrie, sacrosancte Romane ecclesie et sue regie maiestati, uti desuper confecte testantur litere, per omnia verna-

culum reddidisse obsequiosum et fautorem devotissimum: idcirco ex maiestatis sue regie gratia speciali, in recompensacionem et remuneracionem sui fidelis servicii, de principum suorum consilio, imperiale castrum Novimagense, // cum omnibus suis attinenciis, opidis, P. 94. villis, nemoribus, aquarum decursibus, piscacionibus, pratis, agris cultis et incultis, vasallis, ministerialibus, servis, manumissis ac omnibus iuribus, eidem castro attinentibus, pro sedecim milibus marcarum puri et legalis argenti ac omnibus expensis, si que contingunt fieri in castro vel opido qualitercumque muniendis vel edificiis ibidem construendis, legitima computacione de hiis facta, predictis sedecim milibus marcarum superadditis, eidem comiti Ottoni et suis heredibus obligavit: ac eisdem eandem pecuniam in feodum favorabiliter concessit, ab ipso rege et suis posteris habendam, donec eidem comiti vel suis heredibus integraliter fuerit persoluta: proventibus vero et fructibus omnibus ipsius castri, quos eidem rex ex dono sibi et suis heredibus contulit, in sortem non computandis. Theolonium insuper de Lobeke, cum omnibus bonis feodalibus sive aliis, que ibidem idem comes et sui antecessores, usque ad tempora ista possederunt, sibi libere et quiete, sicut ipsa comes idem hactenus possedit, concessit possidenda. Demum Nuyssie ipse rex deveniens, per regale celsitudinis sue scriptum, universis vasallis, ministerialibus, castellanis et ceteris hominibus de Novimagio, fidelibus suis, mandavit, quatenus dicto Ottoni, comiti, castrum de Novimagio assignarent sibique de omnibus iuribus ibidem, eius ex parte, tanquam ipsi regi, deinceps responderent et intenderent. Premisso namque modo imperium Novimagense, hucusque auctoritate regum et imperatorum Romanorum gubernari solitum, ad // principum Gelrie accessit postestatem, pariter et P. 95. dominium. Cuius tamen nudum castrum, predictum ut superius, die III pro Ottone, a Fredrico primo Gelrie principibus ad procurandum sive regendum perpetuo erat collatum.

Hec omnia de Novimagio preenarrata, ex regiis literis dicto Ottoni, comiti, per ipsum Wilhelmum, regem, successive concessis, sunt collecta.

Amplius illis in diebus, castellanus castri Weerde, prope Renum, novo regi factus rebellis, homagium ei facere renuit; quapropter

idem rex, cum dicto Ottone, comite, ceterisque principibus, castrum ipsum obsidione cinxit, quod amplius quam per annum fortiter impugnavit. Castrenses sibi viriliter resistentes tandem, defectu victualium, salvis rebus et corporibus, castrum tradiderunt. In hac vero obsidione ac demum Nuyssie, idem Wilhelmus literas, quas prius dicto Ottoni in castrum ante Aquisgranum, ut in regem electus, concesserat, nunc ut rex coronatus, fortius renovaverat.

Posteris, inquam, temporibus, videlicet anno LIIII, de mense Iunii, dictus Wilhelmus rex, Novimagii in magna solempnitate constitutus, denuo attendens, quod nobilis Otto, comes Gelrie, dilectus fidelis et consanguineus suus, serenitati sue diu serviverit et nunc contra comitem Andegavensem, ducem Lotharinghie existentem, qui fines imperii hostiliter aggressus, sibi cum armatis honorifice et potenter servire promisit, ut idem comes, ad fortius serviendum sibi et imperio valeat preparare, in recompensacionem laborum et expensarum, quas fecit hactenus et faciet in expedicione predicta,
P. 96. quinque milia marcarum argenti // sibi promisit et addidit illi debito, quo ei tenebatur, et pro quo castrum Novimagii olim sibi duxerat obligandum: volens ut ipsum castrum tamdiu teneat obligatum, quamdiu de primo debito, prout in suis literis inde confectis plenius continetur, ut de predictis quinque milibus marcarum sibi fuerit plenarie satisfactum: ita, quod fructus de quinque milibus marcarum provenientes, in sortem predicto comiti minime computentur, pro eo, quod ipse rex, in necessitate imperii, dicta quinque milia marcarum sibi duxit promittenda, et priori debito addenda, ut superius est expressum.

Memorato demum Wilhelmo, rege, anno LV, regni sui VII, die mense Februarii [sic] a ferocibus Frisonibus apud Stauriam interfecto, ipse Otto, comes, anno LVII, Londonie VI die Aprilis, et rursum Aquisgrani XX Maii, per Ricardum, ducem Cornubie, fratrem Henrici, 1) regis Anglie, post ipsum Wilhelmum in Romanorum regem electum et coronatum, obligacionem de imperio Novimagensi, pro XXI milibus marcarum, cum omnibus suis literis, cartis, articulis, inde secutis, de consilio et necessitate imperii, ut prefertur,

1) Hic vacuum in Codice spatium est trium vel quatuor literarum.

factam, obtinuit confirmari; addiciensque idem rex, in suis literis desuper habitis, quod, si dictum castrum, cum suis attinenciis, ipsum regem contingeret redimere, illud maiestati sue, tanquam suum speciale palacium reservaret et ad alterius manus ullatenus transferre valeret.

Nobilis itaque comes Otto, imperio et dominio Novimagensi sibi, ut prefertur, impignoratis et commissis, proinde preesse cupiens, anno LIIII superius descripto, mense Iunio, una cum iudice, scabinis ceterisque civibus civitatis Novimagensis, pro ipsius et inhabitantium in ea, necessitate, // commodo et utilitate, ut ecclesia eius parochi- P. 97.
alis extra civitatem sita, destrueretur et infra muros transferretur ac de novo construeretur, a reverendo patre, domino Conrado de Hofsteden, archiepiscopo Coloniensi, licenciam, et a venerabilibus dominis decano et capitulo sanctorum Apostolorum Coloniensi, ipsius ecclesie ab antiquo veris et pacificis patronis, consensum, citra tamen preiudicium, dampnum aut gravamen iurium et bonorum eorundem, impetravit. Et exinde liberum locum eiusdem civitatis, qui dicitur Hunsdisbrug, de prelibati Wilhelmi, Romanorum regis, ipsius fundi domini, consensu, ad edificandum et consecrandum ecclesiam et cimiterium, eisdem decano et capitulo de expresso eiusdem civitatis assensu, libera contradiderunt: voluntate obligantes se ipsi, comes et civitas, dictis decano et capitulo, quod in recompensacionem illius aree infra castrum et portam, que fuit dos ecclesie, in qua plebanus habitare solebat, — que tunc per novum fossatum civitatis est destructa, — aliam aream competentem et ecclesie nove, ut prefertur, edificande satis contiguam, ipsi plebano darent et assignarent. Et desuper apud dictam ecclesiam sanctorum Apostolorum est litera, sigillis ipsorum, Ottonis comitis et civitatis Novimagensis, sigillata. Denique dicta parochialis Novimagensis ecclesia, ad honorem sancte Gertrudis, temporibus Pipinorum, progenitorum Caroli magni, ut fertur, fundata, modo premisso de primeva eius fundacione infra muros civitatis per ipsius cives translata et consummata, anno LXXII, in vigilia Nativitatis virginis Marie, per famosum virum Albertum, magnum, episcopum // Ra- P. 98.
tisponensem, ordinis predicatorum, in honorem beate Marie et almiflui signiferi Christi, prothomartyris Stephani, cum summo

altari eiusdem prothomartyris, iam vero in eo ante chorum constituto, et duobus duntaxat aliis altaribus, lateribus videlicet sanctorum Nicolai et Katherine, tempore Conradi, archiepiscopi Coloniensis, et Reynaldi, comitis Gelrie, filii Ottonis prelibati, anno secundo fuit consecrata. Cuius dedicacio in dominicam, post ipsius beate Marie Nativitatis festum proximam, 1) ab ipso Alberto magno, extitit ordinata. Unde hec sunt metra:

Anno milleno, cum terno septuageno,
Albertus magnus Neomagi sacrat, ut agnus,
Ecclesiam Stephani, patroni, martyris almi,
Natali die, que sunt profesta Marie.

Et quia in loco dicte primeve fundacionis, — nunc ad antiquum cimiterium ab incolis nuncupatum, in cuius pulvere infinitorum hominum, Christi fidelium, corpora dormicionem in Domino acceperunt, novissimam expectantes tubam et futuram de factis propriis retribucionem, — nichil in structuris fuerat dimissum, sed totalis locus ille prophanatus: ideo per eundem episcopum Albertum, ut fertur, fuit ordinatum et statutum, ut annis singulis, perpetuis futuris temporibus, in octava Penthecostes imago beate Virginis, cum venerabili sacramento ac sanctorum translatis reliquiis, de novella civitatis ecclesia ad dictum primevum locum honorandum similiter deportarentur, pro defunctis inibi sepultis Deum suppliciter exorando. Quod usque in presens annuatim, cum magna tocius cleri et populi solempnitate, ut omnibus notum existit, inibi fieri est consuetum. Que quidem deportacio imaginis beate Virginis, cum
P. 99. venerabili sacramento // ac sanctorum reliquiis, taliter per Novimagenses primitus, ut premittitur, fieri solita, ad diversas mundi partes, civitates, opida, villas, ecclesias, modernis temporibus, ab ipsis Novimagensibus originaliter tracta, deducta est in consuetudinem.

Posteris eciam temporibus, in pretacto loco antiqui cimiterii, videlicet anno Domini MCCCCLIX, sub duce Arnoldo, ex piorum fidelium elemosinis, pulchra, perfecta surrexit capella, ad honorem originalis patrone sancte Gertrudis dedicata.

Ceterum super descripcione translate ecclesie Novimagensis est

---

1) Hic dies est IX mensis Septembris

sciendum: Quod pridem erat chorus ecclesie ante portale chori moderni usque ad gradum infra Nicolai et Katherine, cuius summum altare erat, medium altare adhuc suum primevum obtinens locum; ecclesiaque circa ipsum chorum ad modum crucis equaliter erat deducta et formata, extendens se ab eadem structura crucis usque ad turrim, exclusive nondum existentem, cum duabus lateralibus et testitudinatis [sic] bassis capellis, a navali ecclesia dependentibus. Postea autem, tempore Reynaldi primi, ad eandem ecclesiam per dominum Lambertum Frisonem, ipsius ecclesie tunc pastorem, turris fuit apposita, que plumbo desuper per totum cooperta et quorum cornibus, in eius summitate extensis, totidemque magnis rosis lapideis immuratis, cum cappa sublimi preciose fuerat decorata. Que quidem turris, temporibus posteris, neglectu vigilum, ex eadem civitate custodientium, cum omnibus campanis et edificiis a sursum usque deorsum, anno Domini MCCCCXXIX, dominica adventus Domini, que fuit XXVII mensis Novembris, // in meridie usque P. 100.
in horam terciam sole clare splendente, sub predicto Arnoldo, duce, totaliter extitit concremata: ecclesia tamen in singulis aliis suis edificiis salva remanente. Nichilominus, Deo auctore, infra biennium turris ipsa, civium auxilio, in structuris, campanis et omnibus aliis requisitis preciosius fuerat reparata.

Sed postmodum Maria, campana maior, per textores, ad honorem sancti Severi, eorum patroni, in eius profesto post summam missam, anno Domini MCCCCLIII, pulsata, rupturam incurrebat. Et simili modo infra medium annum depost campana sancti Stephani, eadem hora, in die sabbati ante dominicam Letare, 1) in XL^{ma} anni LIIII tracta, rupture paciebatur detrimentum. Que tamen ambe campane anno LV subsequenti, de mense Maii, in maiore pondere renovate, ipsi turri Novimagensi denuo fuerunt applicate.

Ulterius vero in diebus Reynaldi III, novus chorus ad eandem ecclesiam, cum suo summo altari et armario novo a sinistro latere chori, versus Walam dependentis, priorique choro ad longitudinem

---

1) Dominica *Laetare* quum tribus hebdomadibus praecedat festum Paschatis, quod hoc anno (1453) incidit in primum diem Aprilis, apparet hic significari diem X mensis Martii.

ecclesie dimisso, fuit extructus. Cui eciam choro duo parvi chori
laterales, cum suis singulis altaribus, videlicet Crucis et Marie,
fuerunt annexi. Quibus quidem choris a primis annis ducis Arnoldi
usque in presens successive deiectis, chorus novus in ordine tercius,
cum transitu precioso circumducto et anno LVI testitudinato, in
maiori surrexit parte; infra quem aliud armarium, similiter novum,
exquisito opere conspicitur fabricatum. Portale autem chori, tem-
P. 101. pore ducis Wilhelmi, ab Henrico de Steen//berghen, preposito
sancti Salvatoris Traiectensi, suum habuit ortum. Laterales vero
dependentes capelle, sive partes ecclesie, eciam pristinis diebus
deiecte, ad instar navis ecclesie formate et ad extremitates turris
lateraliter a fundamentis deducte, temporibus Wilhelmi et Reynaldi,
Gelrie ducum, preciose surrexerunt.

Decoratur autem ipsa Novimagensis ecclesia XXX altaribus: quorum tria cum ecclesia, ut prefertur, et XXVII postmodum successu temporis fundata existunt. Adulphus namque de Bomell, quondam ipsius ecclesie pastor sub Reynaldo, duce pretacto, scolares Novimagenses in superpliciis chorum instituit visitare, qui ad idem tempus in vestibus duntaxat propriis rusticali more assueti erant visitare. Cuius successor Henricus Collart, tempore ducis Arnoldi, videlicet anno XXIX, ordinavit vicarios ecclesie Novimagensis habere statuta et deferre almucia ad instar vicariorum collegiatarum ecclesiarum civitatis et diocesis Coloniensis: quorum aliqui caputiati, pileati, mitrati, incompositi suis presenciis deserviendo, chorum et ecclesiam indecenter consueverunt visitare.

Hiis premissis expeditis, redeundum est ad Ottonem, comitem
Gelrie, cuius historiam pre nostris habemus manibus. De quo est
sciendum: Quod ipsius principatus primis temporibus, ut ex cronicis
Monasteriensibus colligitur, nobili vidue de Menhovele per Ludolphi,
episcopi Monasteriensis, officiatum ex inproviso una vacca fuit ab-
lata, cum filii sui milites fuerunt in remotis; ac ipsam vaccam
noluit habere solutam vel emendatam, sed vindicatam. Filiisque
igitur suis ad partes revertentibus, diversis maternis lacrimis,
P. 102. // obprobriis et clamoribus muliebribus importunis ad hoc instigavit,
ut cum auxilio comitum Gelrie, Ottonis, et Flandrie, et aliorum
nobilium et dominorum, ecclesiam Monasteriensem longis temporibus

multum devastaverunt. Et tandem Ludolphus, episcopus, in Domino et sancto Paulo confidens, cum paucis, omnibus inimicis in Ermede obviavit, et durum bellum committens, Ottonem, comitem Gelrie, et totam nacionem de Menhovele, cum quam pluribus captivavit; quam interfecit et radicitus delevit atque annichilavit: et eciam quam plurimos nobiles in bello interfecit. Ac viduam de Menhovele, cui prius vacca fuit ablata, et que hec omnia mala procuravit, ablatis omnibus, de terra depulit et fugavit; et postmodum usque in hunc diem nacio de Menhovele non surrexit. Sed posteris temporibus vidua, penitencia ducta, omnia, que habuit, pro filiorum suorum ac interfectorum animarum salute atque venia obtinenda, sancto Paulo donavit. Et vas argenteum, quod Wilhelmus, episcopus Monasteriensis, in ordine sextus, tempore Lotharii primi, de Roma cum reliquiis tulit et portavit ipsi — nobiles de Menhovele, qui, tempore successoris sui Ricardi septimi episcopi, civitatem ceperunt et de ecclesia sancti Pauli stabulum fecerunt, eidem ecclesie abstulerunt, a qua miraculose tandem recesserunt, atque per longa tempora sub se habuerunt, — hec vidua sancto Paulo restituit. Ipse vero Ludolphus, episcopus, comitem Gelrie et alios captivos preciose exactionavit. Et ultra id comes Gelrie quandam terram, que Goy vocatur, pro sua exactione dedit; quam, in signum captivitatis sue, a Ludolpho, episcopo, et suis successo-//ribus, sub iure homagii recepit: quam eciam omnes sui heredes P. 103.
et comites Gelrie ab episcopis Monasteriensibus itaque inperpetuum humiliter recipere deberent; quod comes Gelrie Otto, ut Monasterienses describunt, promisit et iuravit.

Depost anno LV, ipsius Ottonis comitis temporibus, Wilhelmo, Romanorum rege et Hollandie comite, per Frisones apud Stauriam, ut prescribitur, interfecto, Florentius filius eius, huius nominis v, adhuc tener infantulus, XV comes Hollandie effectus est. Ac Florentius, patruus, preses tanquam tutor, ad tres annos in magna pace rexit Hollandiam; qui demum lesus in tirocinio, defunctus est Antwerpie. Dux vero Brabancie Henricus, exhinc curam eiusdem infantis accipiens, Hollandiam ad tempus regere cepit; qui pro forefacto suorum ministerialium dedignanter fuit expulsus. Deinde principaliores Hollandie Ottonem, comitem Gelrie, eiusdem

pueri nepotem, in tutorem elegerunt: et eciam principaliores Zelandie Aleidem, comitissam Hannonie, ipsius iuvenis materteram, in tutricem constituerunt. De qua quidem controversia demum in Vortuose magnum devenit prelium, ubi, plurimis ab utraque parte peremptis, magne depopulacionis excrevit homicidium. Sed Hollandie populus victoriose prevaluit; et Otto, comes Gelrie, prefecturam patrie potenter obtinuit.

Anno vero sequenti, videlicet LVI, Henrico, duce Brabancie, de medio sublato, Henricus de Gasebeke factus est tutor Brabancie. Unde dissensio facta est magna in Brabancia inter eundem dominum de Gasebeke ac Ottonem, comitem Gelrie, Henricum, episcopum
P. 104. Leodiensem, eius // germanum, et Gerardum, dominum de Perwijss. Huiusmodi siquidem temporibus Gosewinus de Aemstell, in episcopum Traiectensem electus, convocata Traiecti generali synodo, in presencia Wilhelmi, Romanorum regis, Petri, cardinalis tituli Sancti Georgii ad Velum aureum, et Conradi, archiepiscopi Coloniensis, propter quietudinem vite, post annum duntaxat pontificii sui, episcopatui renunciavit. Cardinalis igitur ad postulacionem archiepiscopi, prehabita per universalem ecclesiam electione concordi, Henricum de Vyanden cathedrari iussit: cui rex iurisdictionem et regalia concessit et eundem infeudavit. Quod audientes domini de Aemstell et de Woerden, propter destitucionem Gosewini electi, nepotis eorum, se ipsi novello episcopo fortiter opposuerunt et Ottonem, comitem Gelrie, in adiutorem acquisiverunt: unde comes et episcopus maxima dampna, incendia et depredaciones in alterutrum commiserunt. Tandem ab utraque parte prelium indictum est loco et die determinatis. Convenientibus igitur partibus ad bellandum in unum, post longum conflictum, episcopo et suis cedente victoria, inimicos suos stravit et dominos de Woerden et Aemstell, secum circa suum dextrarium alligatos, cum funibus per colla eorum, ad Traiectum in [presencia] dictorum Conradi, archiepiscopi, et Wilhelmi, regis, — qui medio tempore, dum episcopus ad prelium exiverat, ad impediendum ipsum bellum, Traiectum intraverat, — duxit captivatos. Ipsis demum rege et archiepiscopo, vices suas interponentibus, prelibati hinc inde principes et domini ad preclare pacis redierunt unitatem.

P. 105. Consequenter anno LXIIII, circa medium mensis Iulii, visum // est

quoddam prodigiale signum: In aëre enim pugiles apparuerunt dimicantes in alterutrum, ut bellatores in acie. Quod prodigium subsecuta fuit immensa calamitas: nam adversus nobiles surrexit ubique severa communitas. Nam in Anglia barones et civitas Londoniarum contra Henricum, regem eorum, volentem infringere antiquas consuetudines, insurrexerunt; ubi rex et frater eius Ricardus, rex Almanie, et Edwardus, primogenitus regis, capti fuerunt et magna strages facta est. In Hollandia quoque, cum Florentius, Hollandie domicellus, adhuc iuvenilis esset etatis, vulgus Kenemarie contra nobiles primo tumultuare cepit et plurima castra dominorum ausu temerario devastavit, ita quod omnes fere nobiles ad presidium in Harlem anxie confugerent, ut ibidem tumultuanti vulgo secure resisterent. Decreverunt enim Kenemari cunctos nobiles procul expellere, castra subvertere, municiones destruere et totam Traiectensem diocesem in volgarem communitatem redigere: quibus extemplo vicini Frisones fortissima conspiracione confederati sunt. Nichilominus et Waterlandi cum plerisque nacionibus coadiuncti sunt. Ita quod Kenemari, preliatorum innumerabilem aggregantes copiam, occupaverunt primo totam Amstelrelandiam. Ghiselbertus quidem, eiusdem terre dominus, attendens vires suas contra tantum exercitum nequaquam posse sufficere, caute consultus, pacem exquisivit, fidelitatem iuravit et insulse plebi suis cum armigeris se coniunxit. Qui tante multitudinis capitaneus effectus est, decrevit omnes inimicos
suos ab episcopatu Traiectensi // propellere et primo castrum Vrede- P. 106.
lant assultuose destruere. Et cum idem Ghiselbertus in expugnacione castri nichil omnino proficeret ac indomita gens hominibus sue dicionis alimenta violenter abstraheret, idem Ghiselbertus archano consilio Kenemaros admonuit circa noctis umbraculum castra tollere, repentinum iter arripere et civitatem Traiectensem occulte capere. Nec mora quin Kenemari, Ghiselberto consiliante, devenerint clam ad civitatem Traiectensem ante solis ortum; quam extunc cum innumeris bellatoribus vallaverunt in girum. Excubitores vero, nocturnis deputati vigiliis, stupefacti de tanta multitudine plebis inopinate supervenientis, excitatis cito civibus, nunciaverunt Tartaros advenisse totamque civitatem cum infinitis armigeris occupasse. Cives autem, apprehensis armis ad defensionem urbis accelerantes,

ascenderunt turres et menia, statueruntque de cacumine murorum
primo quidem interloquia. Econtra quidem unus e Kenemaris elo-
quenter in hec verba prorupit, qui, facto silencio, civibus in hunc
modum ait: »Salutat vos amicos libera gens Kenemarie, constanter
expostulans, quatenus omnes nobiles, communitatem aggravantes,
ab urbe vestra proscribatis et eorum facultates egenis seu pauperibus
erogetis." Et, ecce, vix hic interpres sua verba finierat, cum inter
burgenses magnus tumultus exortus fuerit. Volgares itaque cives,
de verbis Kenemari magnanimi effecti, comprehensis armis statim
eiecerunt tribunicie dignitatis illustres viros et nobiles, statuerunt-
P. 107. que de senioribus // cuiuslibet officii scabinos et consules, qui
iudicium sive iusticiam in urbe facerent et ad communem utilitatem
civilia iura disponerent. Igitur expulsis a civitate cunctis nobilibus,
volgus nove potestatis percussit cum Kenemaris fedus inseparabilis
amicicie: quibus extemplo coniuncti sunt Amersfordenses, cum in-
quilinis Amelandie. Otto quidem, comes Gelrie, et Iohannes de
Nassouwen, episcopus Traiectensis, videntes infrenatam populi huius
et indomitam rebellionem, consternati sunt animo. Quamobrem pru-
denter et caute sibi et suis providentes, cogitaverunt quantocius in
manu valida resistere, ne fines suos depopulando in maius dispen-
dium possent progredere. Unde Otto, comes, congregato exercitu
de Gelris, advenit in Zeist, cum Iohanne, episcopo, ut expulsos
infra civitatem iterum reduceret et tumultum insanientis volgi se-
vere corrigeret. Econtra vero Kenemari suas acies ordinaverunt ad
prelium, ut in virtute magna disturbarent Gelrie comitis exercitum.
Sed Otto, comes Gelrie, vir belli gnarus, attendens effrenatum
populum innumerabilis esse multitudinis, recusavit cum paucis mili-
tibus discrimen inire certaminis: quapropter et ipse sine mora cum
episcopo retrocessit ad Veluam, ut ad cruentum bellum sufficientem
armigerorum posset aggregare copiam. Ghiselbertus itaque, capitaneus
tam indomite plebis, cernens sibi cuncta prosperari, castella, scilicet
Ghiselberti de Abcoude, Wilhelmi de Rysenburch ac Huperti de
Vianen, adversariorum suorum, destruxit. Et exinde Kenemaros,
P. 108. per quandam astuciam a belli // tumultu temperans, in hunc
modum loqui cepit: »Bellatores acerrimi et amici carissimi, videtis
quod totum episcopatum hoc anno subegimus. Anno vero sequenti

comitem Gelrie, qui se nobis opposuit, expugnare proponimus totamque dicionem suam hostili bello depopulare decrevimus. Nunc autem, quoniam vindemie tempus instat, oportet ut omnes tendamus ad propria et ad sustentacionem parvulorum nostrorum colligamus quevis necessaria." Igitur Kenemari, redeuntes ad Kenemariam, vallaverunt opidum Harlemense. Econtra cives cum nobilibus egregie se defensaverunt et forenses hostes a municione presidii abegerunt. Iohannes vero Persyn, [miles] inclytus opidum exiens, vehicula eorum, cibariis onusta, comprehendit et exinde plurimas villas hostium capitalium inflammavit. Kenemari vero post tergum respicientes incendium, relicta obsidione, festinaverunt ad propria, deserentes in papilionibus diverse facultatis suppellectilia. Tunc Harlemenses, de civitate erumpentes, fugitivos hostes perniciter insecuti sunt et, occisis multis, cum captivis et spoliis reversi sunt. Tunc episcopus Traiectensis et Otto, comes Gelrie, gavisi de confusione Kenemariorum, cum magno exercitu Traiectum vallaverunt per circuitum. Die vero IV, prefati principes, attendentes civitatem ipsam non posse capi sine magnis expensis et ingeniis, perpendentesque cotidianum dolorem de suis vulneratis armigeris, avulsis illico tabernaculis, obsiderunt opidanos Amersfordie pro eo, quod paulo pridem pepigissent cum Kenemaris fedus // amicicie. Quos tamen P. 109.
comes Gelrie in dedicionem accepit, pro quibusdam vanis et contumacibus verbis, concremavit et devastavit. Hiis itaque gestis comes Otto, valedicens episcopo, secessit ad terram propriam, et episcopus, trans Ysalam tendens, devenit in Daventriam.

Sane cum inter nobiles Ottonem, Gelrie, et Theodericum, Clivensem comites, pretextu nemoris imperii, theoloniorum, piscaturarum, monetarum aliorumque iurium et bonorum, essent guerre et questiones suborte, Henricus de Vyanden, episcopus Traiectensis, Wilhelmus, comes Iuliacensis, et Gosewinus, dominus de Voorne, tamquam arbitri communiter electi, in vim compromissi in eos anno LXVI facti, amicabiliter composuerunt et concordarunt; prout in litera desuper confecta, iuramentoque prestito ipsius comitis Clivensis approbatā et apud Novimagenses conservata, plenius continetur. In qua, inter cetera, cavetur, quod cives Novimagenses descendendo et ascendendo per alveum Reni et Wale,

ad theolonia comiti Clivensi solvenda, de bonis suis propriis minime teneantur.

Habuit eciam Otto, comes Gelrie, magnas guerras cum Iohanne, duce Brabancie, occasione civitatis Tyelensis, quam ipse comes pro se habere volebat. Dux igitur Brabancie anno LXX, tempore maxime inundacionis aquarum ad civitatem suam Tyelensem perveniens, ad submergendum terras comitis Gelrie, aggeres Tyelenses confregit, III tamen die per Gelrenses fuerunt reparati. Quos eciam in eundem
P. 110. finem idem dux Brabancie, tempore Reynaldi, comitis // Gelrie, filii Ottonis, anno LXXIIII, Tyele veniens, in die sancti Victoris 1) confregerat.

Tempore ipsius Ottonis, comitis, germanus eius Henricus, episcopus Leodiensis, pro munimine comitatus Gelrie, fortissimum castrum, dictum Montfort, edificavit. Ex quo ipse tandem, per Gregorium X in concilio Lugdunensi ab episcopatu, ob eius non promotionem ad sacros ordines, infra XXXVII annos pontificatus sui excommunicatus et depositus, contra Leodienses et Iohannem de Anghien, episcopum Tornacensem, ad eius ecclesiam Leodiensem per dictum papam in eodem concilio translatum, assistentibus sibi successive Iohanne, duce Brabancie, Ottone, Gelrie comite predicto, Arnoldo Lossensi et Iuliacensi, comitibus, strennue guerravit. Sed dicto duci Brabancie, ut sibi auxiliaretur, contulit Mechliniam, Huardiam et Bavenciam, que erant ville spirituales sancti Lamberti. Canonici contradicunt et ducem excommunicant. Tandem dux spondet villas dictas restituere sancto Lamberto, prius sibi 2) persolutis ab electo promissis XIII. Inter plures quos habuit, eciam ipse Henricus, episcopus, .20. [sic] pueros, prius prepositus Xanctensis ex promotione domini Petri, sedis apostolice legati, et Wilhelmi, Romanorum regis, consobrini sui, ad ecclesiam Leodiensem electus. Demumque ipsum Iohannem, episcopum successorem suum, capiens, in dicto castro Montfort detinuit. Qui cum eundem in captivitate ob eius
P. 111. crassitudinem deficere cerneret, Leodiensibus, abso//lutum, equo

1) Significari videtur dies X mensis Octobris. Sed praeter hunc, qui tamen in Gelria omnium notissimus est, tres alii memorantur sancti Victores.

2) Hoc loco in codice vox desideratur.

insidentem, remisit. Sed infirmitate eius convalescente, in via de equo depositus, in sinu vage mulieris spiritum exalavit, pontificatus sui anno VII. Henricus autem excommunicacionem non curans, per annos multos violenta manu episcopatum in excommunicacione possidebat. Tandem moriens, in silva Montfort sepelitur. Absolucione tamen postea obtenta, ad pedes parentum suorum, in monasterio monialium Ruremundensi inhumatur, nepotique suo Reynaldo, comiti Gelrie, dictum castrum relinquens possidendum.

Legitur in vita sancti Ludovici, Francorum regis, quod Otto, comes Gelrie, quadam vice cursorem cum literis Parisiis [sic] miserat cursu perpeti rediturum. Quem redeuntem comes interrogans quesivit, si regem Francie Ludovicum vidisset. At ille vir, more subsannientis »Retorsum collum vidi" inquit; »vidi illum miserum papillardum, caputium habentem capitis super scapulas." Hec dicens faciem retorsit ex adverso; et sic facies contorta remansit.

Ad ultimum comes Gelrie, Otto, postquam quadraginta annis comitatum suum post obitum patris sui Gerardi potenter gubernasset, anno Domini MCCLXXI, IIII ydus Ianuarii, id est X die mensis Ianuarii, sub Rudolpho, Romanorum rege, debitum humane nature exsolvens, spiritum exalavit, et in monasterio Valliscomitis, per eum, ut prefertur, fundato, tumba elevata, imagineque sua desuper magnifice exsculpata, luctuose inhumatur.

Reynaldus primus, comes Gelrie et Zutphanie, // princeps bellicosus P. 112. et famosus, anno Domini MLXXI [sic], tempore Rudolphi, Romanorum regis, patri suo Ottoni, in comitatibus succedens, successu temporis binas habuit conthorales. Ex quarum prima, videlicet Ermgarde, quondam Henrici, ducis Lymburgie, coniuge, que obiit anno XC, XIII die mensis Iunii, nullas suscitavit proles. Cum eadem tamen ducatum Lymburgie consecutus extiterat; qui sibi per Iohannem, ducem Brabancie, ut infra patebit, bellicose fuerat extortus. Ex alia vero coniuge, videlicet Margareta, filia Guidonis, comitis Flandrie, genuit Reynaldum, succedentem primarium ducem Gelrie; Margaretam, nuptam Theoderico, comiti Clivensi, Ottonis et Iohannis, comitum Clivensium, germano; ac Philippam et Ysabelam, moniales inclusas conventus sancte Clare Coloniensis; que anno

MCCCXXI, in die beate Balbine virginis 1) moriens, apud Ermgardim, duxissam et comitissam predictam, in monasterio Valliscomitis sepelitur.

Hic vero comes duas ecclesias conventuales fratrum Mendicantium, unam ordinis Minorum in Ruremunda, aliam Carmelitarum in Gelrie civitatibus, instituit.

Sub hoc quidem Reynaldo, comite, videlicet anno LXXVIII, Wilhelmus, comes Iuliacensis, cum filio suo primogenito, Wilhelmo, hora nona noctis, civitatem Aquensem, Syfrido, Coloniensi archiepiscopo, inimico suo confederatam, dolo visus obtinere, cum multis armigeris inprovise fuit ingressus. Sed, civibus mox ad arma concurrentibus, bello cruento in medio foro commisso, dictus comes
P. 113. cum filio suo, una cum quadringentis et sexaginta octo // militaribus satellitibus, extitit trucidatus.

Circa hec eciam tempora, Engelbertus, comes de Marcka, Everhardi comitis genitor, ab Hermanno, nobili viro de Bredevort, capitur et in captivitate moritur.

Huic quidem Reynaldo, comiti Gelrie, anno LXXX, Hupertus, comes de Culemborch, de sua et amicorum suorum libera voluntate, hereditarie castrum suum de Culemborch, pro C libris Hollandie vendidisse evidenter recognovit in hunc modum: Quod ipse comes vel sui heredes de ipso castro profectum suum facere poterunt et utilitatem, sine contradictione ipsius Huperti et eius heredum: Idem tamen Hupertus et sui heredes hereditarie tenebunt ipsum castrum a comite Gelrie, iure feodali Zutphaniensi.

Prefatus namque comes Reynaldus, anno LXXXII, impetravit primus inter Gelrie principes a Rudolpho, rege Romanorum, quatenus denarios sub nummismate legali in opido suo Arnhemensi cudere posset et formare. Hec autem gratia eidem postêa confirmata est per Adulphum, regem anno XC. Additum est insuper, ut monetam, quam in opido Arnhemensi tenere consuevit, locare valeat in Ruremunda aut in Hardewyck transferre, si hoc sibi visum fuerit expedire, et ad pristinum locum, scilicet Arnhemensem, relocare.

---

1) Balbinae virgini quum duo dies dicati fuerint, incertum est utrum d. XXI Martii significetur, an VI mensis Octobris.

Item ex quadam litera domus Clivensis, que data est LXXXIII, patet, inter cetera: Quod prefatus comes Reynaldus dimisit Theoderico, comiti Clivensi, sororio suo, decimam in Humoff, prope dominium de Bewen 1) Agenfelt, vivorum et aliarum rerum, quam eciam ab omni obligacione, — // qua post obitum quondam ducis P. 114.
Lymburgie, generi dicti Reynaldi, comitis Gelrie, qui sororem quondam domini, comitis Clivensis, in conthoralem habuerat, obligata extiterat, — redimere et absolvere promisit. Renuncians eciam cunctis condicionibus, inter ipsum et comitem Clivensem ordinatis, super nemore imperii Novimagensis, relinquendo comitem Clivensem in omni iure suo antiquo, quod pater suus ex longis retroactis temporibus ab imperio habuisse dinoscitur. Defunctaque ipsius Theoderici comitissa, dicti Reynaldi comitis germana, Rudolphus, Romanorum rex, ipsi Theoderico, comiti, secundum cuiusdam litere domus Clivensis tenorem, de datis anno Domini MCCXC, matrimonialiter copulavit neptam suam Margaretam, filiam Everhardi, comitis Hapsburgensis, committentem ipsi comiti, marito suo, castrum et opidum Novimagium et opida Duysburch et Daventrie, suo et imperii nomine gubernanda: et ante annum expost eidem comiti dictum opidum Duysburch, pro certa argenti taxa, obligavit: quam quidem obligacionem, pro maiori pecuniarum summa augmentatam, Adulphus et Albertus, ipsius Rudolphi regis successores, dicto Theoderico, comiti, confirmarunt.

Hec cum preenarratis, quoad Novimagium, omnino videntur discordare, cum Novimagium per quondam Wilhelmum, Romanorum regem, circa quadraginta duos annos translapsos, Ottoni, comiti Gelrie, comitis Reynaldi genitori, pro magna pecuniarum summa in vadimonium et feodum obligatum fuerat. Ipseque eciam comes, vir magne // perspicacitatis, huiusmodi vadimonium et feodum de P. 115.
Novimagio, per pretactum Rudolphum regem, depost confirmari et fortiori vinculo obligari obtinuerat. Sic ergo ipsius Rudolphi literas regales predictas salvando, videtur idem rex, affinitatis intuitu, dicto Theoderico, comiti Clivensi, castrum et civitatem Novimagensem inter alias civitates predictas, sui et imperii nomine guber-

1) Hic in codice, et ante et post nomen *Agenfelt*, vox quaedam desideratur.

nandum duntaxat committere et concedere auctoritatem Novimagium vice sua redimendi et consequenter regendi; ex quo per neminem, quam Romanorum regem aut imperatorem, in eorum usus proprios et potestatem perpetuo extunc permanendum, a comitibus Gelrie, iuxta eiusdem Rudolphi concessionem, redimi deberet: prout ista omnia superius, loco suo, lacius existunt deducta.

Hiis temporibus Syfridus, archiepiscopus Coloniensis, pro iuribus ecclesie sue conservandis, indefessum gerens animum, obsedit potenter castrum Carpene octo septimanis, et obtentum incendio devastavit: in contemptum videlicet Iohannis, ducis Brabancie, qui idem sibi comparaverat ab heredibus de Gymnich. Quod tamen castrum per dictum ducem fuit postmodum fortius reparatum. Et quidem seminarium fuit odii atque rancoris inter dictum archiepiscopum Coloniensem et ducem Brabancie: inter quos surrexit postea dira belli materia, sicut inferius apparebit.

Istis similiter temporibus lamentabilis et magnarum rerum discordia inter Iohannem, ducem Brabancie memoratum, et Reynaldum, comitem Gelrie, extitit, suscitata propter videlicet ducatum Lymburgensem. In quo quidem ducatu dictus comes Reynaldus, racione
P. 116. uxoris sue Ermgardis, // sibi usufructum vendicabat, Henrico, duce videlicet Lymburgensi, absque liberis tunc defuncto; sed ipse dux Brabancie, iure successionis in ipso ducatu, ab Adulpho, comite de Monte, proximo quodam de consanguinitate ducis defuncti, sibi pecuniis comparavit. Cuius quidem discordie occasione iidem principes plurima dampna, incendia, depredaciones, devastaciones et depopulaciones in alterutrum commiserunt. Inter que mala Reynaldus, comes, anno LXXXIIII in die Prothi et Iacincti, 1) civitatem Tyelensem destruxit et devastavit. Igitur dux Brabancie memoratus fratrem suum Godefridum, Adulphum de Monte, comitem prefatum, Walramum, comitem Iuliacensem, cum fratre suo Gerardo, domino de Castere, Everhardum, comitem de Marcka, Henricum de Wyndecke, — est dominium ducatus Montensis, — fratrem dicti comitis de Monte, comitem de Waldegge et civitatem Coloniensem, cum multis potentibus atque nobilibus, sibi federavit. Ex adverso dictus

1) Dies Prothi ex Iacinthi incidit in d. XI. m. Septembris.

comes Gelrie, Reynaldus, dominum Syfridum, archiepiscopum Coloniensem, Henricum, comitem de Lutzellinburgh, [sic] Henrici octavi, cognomento Pii, postea in Romanorum regem electi, genitorem, et Walramum de Rupen, fratrem eiusdem Adulphi, Wa'ramum, dominum de Valkenburch, Iohannem, dominum de Lymburch, et Iohannem, dominum de Westenburch et dominum de Murze, cum multis aliis comitibus, baronibus, potentibus atque nobilibus sibi in auxilium acquisivit. Dum autem varios bellorum eventus // experirentur, hinc inde P.117.
nunc istis nunc illls superioribus existentibus, ad ultimum ipse dux Brabancie, cum suis confederatis, archiepiscopatum Coloniensem potenter ingressus, cuncta in circuitu devastans, castrum Worinch quidem, quod dictus archiepiscopus ibidem construxerat ad munimen Coloniensis ecclesie, presertim contra cives Colonienses sibi continuo adversantes, cinxit valida obsidione. Dictus igitur archiepiscopus Syfridus, Reynaldus, comes, et sibi federati, eidem duci Brabancie et suis prompte cum valido exercitu occurrentes, in die sancti Bonifacii episcopi, 1) sub anno Domini MCCLXXXVIII, in obsidionis loco bellum cruentissimum adinvicem commiserunt, Walramo, domino de Valkenburch supradicto de prelio fugiente. In quo quidem bello dux Brabancie victoria est potitus. Henrico vero comite de Lutzenburgh, Walramo, fratre eiusdem, cum aliis duobus eorum fratribus, Henrico de Westenburch, equite, fratre dicti archiepiscopi, militibus strennuis et ad bella promptissimis, cum aliis multis nobilibus et ignobilibus militibus et satellitibus de exercitu Coloniensi, Gelrensi et Lutzenburgensi, Conone, sub Reynaldo, comite Gelrie, in ducatu Lymburgensi gubernatore, cum sua tota fere virtute militaris excercitus, plus quam mille interfectis ac totidem de eisdem captivatis. Comes quoque Gelrie Reynaldus graviter vulneratus, per ducem Brabancie captus, abducitur, ac per annum et amplius in prisone detinetur. Et ipse Syfridus, archiepiscopus Coloniensis, per Adulphum, comitem de Monte, similiter captus, carceri ultra // annum mancipatur. De parte vero ducis Brabancie, P. 118.
precipue Walterus de Bertrant, dominus Mecheliniensis, et Arnoldus, dominus de Zeelem, in acie, cum quadraginta circiter hominibus in universo ceciderunt. Ex quo quidem lamentabili casu, ecclesia

---

1) Dies Sancti Bonifacii respondet nostro d. v. m. Iunii.

Coloniensis et comitatus Gelrie nimium fuerunt humiliati. Nam eodem turbine comes Iuliacensis, Walramus, castrum Tulpetum munitissimum cepit et destruxit. Comes vero de Marcka Everhardus in ducatu Westfalie municiones et castra ecclesie plurimas devastavit. Tandem post annos 1) ipse Syfridus, archiepiscopus, a captivitate restitutus, moriens, in ecclesia Bunnensi sepelitur. Nam civitas Coloniensis, propter adversitates supradictas, per Nicolaum papam IV, supposita fuerat interdicto. Reynaldus vero comes Gelrie, mediante arbitro, inter eum et ducem Brabancie per Philippum, Francorum regem, in quem super ipsius comitis liberacione convenerant, pronunciato, dimisso duci ducatu Lymburgensi, pro quo contendebatur, et quatuor dominiis, videlicet Dusenborch, Wassenborch, Harne et Spirmunt, eidem virtute predicte pronunciacionis superadditis, libertati pristine restituit. Sed quoniam tunc temporis Wassenborch ad manus archiepiscopi Coloniensis pro summa XII milium marcarum in vadimonium fuerat expositum, ideo, ad illius redempcionem, duci in subsidium sex milia marcarum comitem contribuere oportebat.

Hec ex quadam litera domus Gelrie sunt exscripta.

P. 119. Prelibatus namque Iohannes dux, qui tam gloriosam de tot // principibus, ut prefertur, reportavit victoriam, anno XCV, nonas Maii, etatis sue XLI, in Hastiludio interfectus est. Et Iohannes, eius filius, pro eo suscepit ducatum regendum.

Insuper sub Reynaldo, comite, videlicet anno XCIII, fundatum est claustrum fratrum Predicatorum sancti Dominici in Zutphania, a Margareta, ipsius comitis conthorali.

Eodem eciam anno, proxima dominica post festum Nativitatis Iohannis Baptiste, ipsi fratres Predicatores civitatem Novimagensem intraverunt, et locum illum, ubi tunc erat capella Thelemanni, filii Weremanni de Ubberghen, inhabitandum acceperunt. Qua tamen capella tandem deiecta, tempore Wilhelmi, ducis Gelrie, pulchra et magna, ut in presentiarum apparet, exsurrexit ecclesia. Cuius eciam conventus, in singulis eius fere edificiis, a sursum usque deorsum, per fratrem Hermannum de Schardenberch, ipsius conventus priorem, sub Arnoldo, duce Gelrie, preciose est renovatus, ampliatus et in altum deductus.

1) Numerus annorum non memoratur.

Circa hec tempora, videlicet anno xcvi, Vapulatores, vulgariter
Cruciferi nuncupati, sub quadam specie sanctitatis incedentes, flagellis se rigide percusserunt: de quorum secta, posteris temporibus,
sub Wilhelmo duce, renovata, lacius audietur.

Huiusmodi eciam diebus, ut ex quadam litera domus Clivensis,
de data xcvii conspicitur, inter Theodericum, comitem Clivensem,
et Reynaldum, comitem Gelrie, sororium suum, iterum suborta fuit
dissensio sive guerra, pretextu nemoris imperii inter Novimagium
et Goch, et propter pagamentum annuorum reddituum, ipsi comiti
Clivensi, cum sorore dicti comitis Gelrie, // ex theolonio Lobeke in P. 120.
dotem assignatorum; eciam propter decimam in Huyniff. Que discordia fuit complanata; et in ista contractum fuit: Quod Reynaldus,
comes Gelrie, tradere deberet filiam suam iuniorem, Margaretam,
cum socero suo Gwidone, Flandrie comite, tunc constitutam Theoderico
secundogenito dicti comitis Clivensis in conthoralem. Prout idem
matrimonium, sicut postea patet, deductum fuit in effectum.

In diebus istis, videlicet anno xcviii, Otto, dominus de Buren,
et Alardus, eius filius, castrum suum apud Buren, propter excessum,
quem fecerat contra Reynaldum, comitem, pro eius gracia obtinenda,
ad manus resignavit eiusdem. Sed idem comes, propter multimodas
preces amicorum dicti Ottonis, reddidit ei castrum predictum in
feodum, ab ipso et suis heredibus tenendum et habendum; tali
namque condicione: Quod Otto et sui heredes, contra dictum comitem vel eius successores, de dicto castro aliquid facere [non]
attemptabunt, nec ex eadem aliquod dampnum comiti predicto vel
pueris eiusdem aliquatenus facere deberent, sed ipsi comiti imperpetuum fideles erunt vasalli et servitores.

Interea, circa annum Domini mccc, Gwido, comes Flandrie, pater
Magarete, comitisse Gelrie, suis odiosus factus et execrabilis, pro
eo, quod plures de Gandavo nobiliores severe ac iusticie rigore diiudicans quosdam captivavit, quosdam exulavit, alios indebite exactionavit
ac alios indigna morte trucidavit. Quapropter super hiis, apud regem
Francie Philippum accusatus, ab eodem ad // comparendum coram P. 121.
eo est citatus. Hic, cum coram rege in Francia comparuisset,
statim eum rex cum filia iussit comprehendi et vinculari. Porro
rex crimen lese maiestatis sibi imposuit, eo, quod ipsam filiam suam

Edwardo, regi Anglie, patri Alionore et duxisse Gelrie infradicende, inimico suo, desponsasset et fidelitatis ac amicicie vinculum secum contra eum inivisset. Capto itaque comite Gwidone cum filia, rex Francie terram Franciam sue dicioni transponens, misit rectores et iudices in Franciam, quibus primitus Flandrenses, in manu valida, viriliter restiterunt, ac postea, plurimis eorum interfectis, omnes fugere ad Flandriam compulerunt. Unde rex iratus ac nimio furore repletus, repentino impetu venit in Flandriam. Flandrenses vero, unanimiter aciebus suis ordinatis, contra regis exercitum aciem direxerunt. Ubi inito prelio, plures de regis exercitu prostraverunt ac fugaverunt. Demum anno II, mense Iulii, venit rex cum exercitu copioso ante civitatem Cortrijke, ubi iterum Flandrensis populus adversus regis exercitum viriliter aggressus est, de quibus inopinatum tropheum potenter est adeptus. Fuit etenim in eodem bello tam cruenta strages et horrendum excidium, quod multa milia Francorum ibidem perierunt. Ceciditque ibidem comes Atrebatensis et de Nigello, Godefridus, frater Iohannis, ducis Brabancie, et alii multi comites, nobiles et barones. Dehinc tercio, rex congregavit immensum exercitum, veniensque contra Flandrenses, preoccupavit quendam rivum. E converso Flandrenses, ex adverso regi, cum Reynaldo, comite
P. 122. Gelrie, // domicello Wilhelmo de Iuliaco, borchgravio de Born, Iohanne de Gamere ac aliis nobilibus occurentes, vada ipsius rivi preoccupantes, ibidem consederunt. Cum vero utrimque exercitus aliquantulum consedisset et quisquis transitum aque usurpasset, ex hac contencione ortum est bellum, tam durissimum, quod multi ab utraque parte crudeliter interempti sunt. Maior tamen pars Flandrensium ibidem interiit. Corruerunt ibidem dictus Wilhelmus Iuliacensis, Iohannes, dominus de Gamere, ac cum multis nobilibus occisi sunt. Erat eciam idem Wilhelmus, excercitus Flandrensis capitaneus, tunc ad ecclesiam Coloniensem in archiepiscopum electus et per Bonifacium VIII confirmatus, sed, ut prefertur, morte preventus, de ecclesia Coloniensi nullam habuit execucionem. Videntes autem se Flandrenses a rege superatos, fugam inierunt, vagantesque per devia, diversis incommoditatibus afflicti, lassam animam exhalarunt. Ceteri quidem fugitivi, loricas, thoraces, galeas, clipeos abiicientes, aut passim occisi sunt vel catervatim apprehensi. Rex

itaque, profugientes perniciter insecutus, armigerorum numerosum cuneum apprehendit: quinimo papiliones et victualia cum clenodiis diverse suppellectilis ibidem acquisivit. Philippus vero rex, hac adeptus victoria, cum triumphali gloria reversus est ad propria.

Interea, antequam hec discordia inter regem et Flandrenses finem acciperet, comes Gwido, in captivitate detentus, diem vite clausit extremum. Nec non diu post filia // sua, hac eadem captivitate P. 123.
constricta, similiter defuncta est. Mortuoque comite Gwidone, Robertus, filius eius, et Flandrenses, per amicabiles internuncios, amiciciam regis adepti sunt; et omnis controversia discordie prorsus in hunc modum terminata, videlicet: Quod rex civitates Ryselle et Duay, cum superiori Flandria, Francis contigua, perpetuo possideret.

Prenominati eciam Reynaldi, comitis, temporibus, Iohannes, comes Hollandie XVII, in principio dominacionis sue, habuit victoriam contra dominum Iohannem de Reness in Zelandia. Unde ipse dominus Iohannes de Reness, dolens se esse victum, perrexit ad Albertum, Romanorum regem, pro subsidio parando. Quapropter anno MCCC predicto, Albertus rex, cum exercitu magno, ad subiugandum sibi Hollandiam, devenit in Novimagio. Econtra Iohannes, comes Hollandie, cum magna classe armatorum pervenit deprope Novimagium apud Buynsweerd; sed conspiracione facta a suis, ut eum, ob amorem Iohannis, comitis Hollandie, latenter interficerent, sicut sibi relatum fuerat, recessit ad Cranensburch. Tandem archiepiscopus Coloniensis, Wigboldus, in hunc modum reconciliavit regem et comitem: Ut comes prestaret regi omagium et fidelitatem, ac rex traderet eidem comitatum in feodum; sicuti factum est. Comes itaque a rege liberatus existit.

Depost, tempore Reynaldi comitis, anno III, ecclesia parochialis opidi Bomelensis facta est collegiata, per venerabiles viros Gerardum de Nassouwe, thesaurarium ecclesie // Traiectensis, tunc eciam P. 124.
archidiaconum et prepositum Tyelensem, et Bernardum de Vueren, canonicum ecclesie sancti Petri Traiectensis: qui eciam largiflua munificentia eam sublimaverunt ac possessionibus gratiose dotaverunt.

Porro anno X, apud Spyeram, pius Henricus VIII, comes de Lutzenburch, Romanorum rex, anno regni sui II, instantissimis precibus Reynaldi, comitis Gelrie, consanguinei et fidelis sui dilecti,

gratulabundus annuens hominibus in sua patria et opidis constitutis, hanc gratiam de benignitate regia duxit faciendam: Quod ad nullius instantiam ad iudicium curie sue debeant evocari nec coram iudice eiusdem curie sue stare iuri, nisi conquerentibus per eundem comitem vel per suos iudices iusticia fuerit denegata.

Preterea in civitate Arnhemiensi, inter Gwidonem de Hannonia, episcopum Traiectensem, et Reynaldum, comitem Gelrie, anno XI, uti Traiectenses describunt, concordatum et declaratum existit: Quod comes Gelrie pagum Velue et omnia bona, que a duce Brabancie in secundarium feodum tenere consuevit, ista de cetero ab ecclesia Traiectensi immediate in feodum tenere et recipere deberet; eo quod infra terminum competentem prefatus dux ecclesie Traiectensi omagium fidelitatis non prestitit nec requisivit, ac propter guerras et mala multa, que quondam inde devenerunt.

Tandem anno XVIII, Reynaldus, comitis Reynaldi filius unicus, uti in Speculo Historiali continetur, quorundam de patria consilio
P. 125. depravatus, nature // postposita reverentia, Reynaldum comitem, patrem suum, pro eo, quod comitatum in bonis et possessionibus diminuebat, capiens, in castro Montfort coniecit: ipsum per octo continuos annos usque in diem mortis, sub arta custodia retinens, dominabatur per eosdem. Non tamen tempore vite patris sui, in literis suis se comitem Gelrie, sed simpliciter Reynaldum, filium comitis Gelrie, ipsi patri suo honorem adscribendo, nominabat. Sed Henricus de Hervordia sic dicit: »Reynaldus, comes Gelrie, de consilio comitisse et procerum captivatus est et tum in honore maximo custoditur usque ad mortem, quod nimis prodigus factus est et permixte rationis, ex percussionibus in bello de Woryngħen susceptis, vel, ut alii dicunt, singuli comites Gelrie senescentes." 1) Hec Hervordius.

Porro idem Reynaldus, comitis filius, eodem anno de suorum consilio fecit constitui et formari aggeres infra Mosam et Walam, sub iuribus et privilegiis ad hoc per eum ordinatis.

Sequenti vero anno, videlicet XIX, opidum de Zaltbomell a domino de Voern et domino de Alkell per incendium est destructum.

Postremo Reynaldus, comes, boni certaminis cursu quinquaginta

---

1) Hoc loco in codice duae vel tres voces erasae sunt.

sex annorum, post obitum patris sui Ottonis, comitis, laudabiliter consummato, fortis athleta, quasi servus fidelis, in gaudium Domini sui intraturus, anno Domini MCCCXXVI, VI Idus Octobris, scilicet ipso die Dionisii, in castro Montfort, sub captivitate Reynaldi filii sui, tempore Ludovici IV, Romanorum imperatoris, a Domino vocatus, moritur, et // in monasterio Valiscomitis, ad pedes patris sui, ut P. 126.
creditur, sepelitur.

Reynaldus secundus, comes et primarius dux Gelrie comesque Zutphanie, princeps constantissimus, magnanimus et victoriosus, anno Domini MCCCXXVI, tempore Ludovici, Romanorum imperatoris, patri suo, Reynaldo, in comitatibus successit; cum iam octo annos eisdem, tempore dicti patris sui, per eum, ut prefertur, in castro de Montfort detenti, de facto prefuisset. Hic vero Reynaldus binas habuit conthorales: ex quarum prima, videlicet Sophia, filia illustris viri Florentii, domini de Mechelinia, quatuor suscitavit filias, scilicet Magaretam, virginem, que obiit anno XLIIII, ipso die Francisci. 1) Item Mechteldim, tribus successive nuptam viris: videlicet Iohanni Clivensi, Godefrido Lossensi et Iohanni de Bloes, comitibus; que tandem anno LXXIIII, ipso die Matthei apostoli, 2) in dotalicio suo de Huessen, tempore nepotis sui Wilhelmi, ducis Gelrie, cum quo plurimum, ut inferius dicetur, super ipso ducatu guerrabat, absque liberis decessit, et in monasterio Vallis Marie prope Arnhem sepelitur. Item habuit Ysenbellam, abbatissam monasterii Valiscomitis, que XI anno abbaciatus sui, devocione mota, oneri et honori abbacialibus cessit et renunciavit, ac, anno LXXVI mortua, inibi sepelitur. Habuit eciam Mariam, nuptam Wilhelmo, comiti Iuliacensi, // ex P. 127.
quibus processerunt: Wilhelmus et Reynaldus IIII, duces Gelrie et Iuliaci, atque Maria, illustris domini de Arkel Iohannis conthoralis. Dicta namque Maria, duxissa Iuliacensis, obiit anno MCCCC primo, in profesto sancti Servatii. 3)

Rursum anno Domini MCCCXXIX, II nonas Maii, sive VI die mensis

1) Dies Francisci incidit in d. IV. m. Octobris.

2) Dies Matthaei apostoli incidit in d. XXI. m. Septembris.

3) Significatur dies XII. m. Maii.

eiusdem, Sophia de Mechelinia, dictarum quatuor filiarum genitrice, defuncta et in monasterio Valiscomitis sepulta, ipse Reynaldus, comes Gelrie, fama et honore magnifice proficiens, et apud terrarum diversarum principes et magnates sua strennuitate crebrescens; singuli namque optabant secum contrahere connubia, ut eius potiri possent presidia. Unde rex Anglie Edwardus, famosam probitatem eiusdem principis frequenter audiens, tradidit eidem germanam suam Alienoram in uxorem, ut ipse rex et comes firmarent alterutrum pariter fidelitatis amorem. Nuptiis in magnificencia regia solempniter celebratis, genuit ex ea Reynaldum et Edwardum, geminos regie nobilitatis soboles, Gelrie duces. Alienora vero, post ipsius Reynaldi, comitis, obitum, tempore dictorum filiorum suorum anno LV, X Kalendas Maii, in profesto Georgii martyris, debitum nature exsolvens, in ecclesia fratrum Minorum Daventriensi, ante summum altare inhumatur. Eius namque genitrix Ysabella regina, filia Philippi V, ac Ludovici IX, Philippi VI et Caroli III, filiorum suorum, regum Francie, germana, maritum suum Edwardum, Anglorum regem, anno MCCCXXII, propter perversitates et insolencias, quas in regno
P. 128. contra // suos eorumque iura, leges et libertates pertinaciter commiserat, per sui fideles capiens et artis carceribus ad dies vite sue emancipans, filium suum Edwardum, ipsius Alienore germanum, (cum quo ad certos annos, usque ad illud tempus, apud dictum Carolum regem, in Francia, per ipsum maritum suum regem exulata, confugerat) Anglicis prefecerat in regem.

Reynaldus igitur, factus comes Gelrie et Zutphanie, dominium prudentissime duxit gubernandum, quod magnis diviciis et possessionibus ampliavit. Nam inter cetera, dominia de Kessell et de Krieckenbeek, propriis comparando pecuniis, suo applicuit principatui; populumque, sibi commissum, gloria et honore, ultra predecessores egregie illustrando fuit. Namque pacis amator iusticieque zelator, pacem et tranquillitatem subditorum suorum semper querens, neminem defraudans, hostibus pacis federa servans, unicuique iudicium et iusticiam faciens: quapropter eum Divina providentia undique triumphis et victoriis sublimavit ac coram principibus gloriosis laudibus magnificavit. Unde anno Domini MCCCXXVII, Ludovicus, dux Bavarie, Romanorum rex, Alpes transire disponens et ad imperialem

coronam aspirans, auxilium Reynaldi comitis expetivit, ac eidem tenorem sequentis epistole destinavit:

Ludovicus, Dei gratia Romanorum rex,
spectabili viro Reynaldo, Gelrie comiti ac vasallo suo predilecto,
gratiam suam et omne bonum. // P. 129.

Cum ex Divine largitatis munificentia longe plures civitates et castra nobis, quam Dive memorie quondam Henrico, predecessori nostro, fidelitatis homagia prestiterunt, ita quod imperiali coronationi, nobis nullus possit difficultates aliquo modo prestare, fidelitatem tuam, qua nobis et imperio teneris, cuius membrum principale te cognovimus, hiis presentibus obtestamur, quatenus indilate Lombardiam advenias, cum potencia militari, recepturus nobiscum palmas imperialis triumphi, quas sine te capere quomodolibet nos tederet. Datum Rectis.

Igitur hac epistola graciose suscepta, Reynaldus, comes, associatis sibi comitibus Wilhelmo Iuliacensi, Theoderico Clivensi et Montensi, cum multis equitibus, acceleravit Alpium aspera iuga transcendere, et Ludovico regi contra adversariorum suorum insultum armipotenter assistere. Cum vero Ludovicus rex cum hiis principibus ac fortissimo excercitu intrasset Italiam, licet Robertus, rex Sicilie, et dominus Ostiensis, cardinalis tunc legatus Italie, conarentur ipsum in passibus impedire, recto tamen itinere venit Romam et castra metatus est in pratis virentibus ante urbem. Tandem auxilio Columpniensium introivit, multos creans milites in monte Tiberis et a prefecto urbis suscipiens imperii diadema. Ubi Reynaldus, Gelrie comes, cum aliis multis nobilibus, militaris glorie suscepit insignia.

Porro tempore isto, quo Reynaldus, comes, adhuc morabatur cum cesare in partibus Italie, Leodienses perperam intendentes, nimirum ob comitis absentiam, qui partem // episcopi eorum, Adulphi de Merka, per eos dudum expulsi, fovebat, audaciores effecti, contra Gelrenses inimicitias exercebant. Intrepidi itaque diurnatim homines captivos ac multa alia temerario ausu, secundum infrenatam eorum insolenciam, actitabant. Que cum comiti indicata fuissent, nimirum ex hiis turbatus, consternatus est animo: P. 130.

unde continuo cesari valedicens ac extemplo cum suis trans Alpinas precipiti gradu venit in Gelria, susceptusque est cum gaudio magno. Igitur cum cognovisset, que et quanta plebs hec truculenta suis iam pridem irrogasset dampna, hanc contumeliam digna ulcione emendare volens, cum dicto Adulpho, episcopo, ab ecclesia per Leodienses ex longa rebellionis consuetudine expulso, assistentibus eis comes [sic] de Monte, ac nonnullis aliis nobilibus et militantibus, demum expeditum congregavit exercitum, quatenus dampnum illatum severiter in eos ulcisceretur, ac terram eorum per hostile incendium depopularet. Cum vero Leodienses, certa relacione cognovissent, quod eos comes firmiter debellare disposuisset, Brabantinos, eis fortissima conspiracione iam pridem confederatos, vocaverunt sibi in auxilium, sed et omne robur eorum exer-
P. 131. citus contraxerunt, pro committendo // indilate contra eum prelium. Et, ecce, concurrentibus utriusque partis populis, in loco, qui dicitur Husselt, iuxta Traiectum superius, cum tubis horrisonis et vexillis fulgidis, ad tam cruentum bellum fit ingens collisio armorum et magnus stridor ab utraque parte occisorum. Gelrensis namque populus, bipartitam inimicorum suorum aciem fortissima irrupcione impugnantes, eam tandem disiunxerunt ac plurimos Leodienses ibidem sauciatos occiderunt. Quin imo ceteram omnem illam multitudinem tam immensi exercitus, que fuerat quippe numero ac fortitudine Gelrensi duplo maior, aut in captivitatem vinctos secum traxerunt, aut fugere turpiter compulerunt. Contigit autem hec cruenta strages, cedente comiti et episcopo ac Gelrensibus victoria, pocius Divina virtute quam humana, anno Domini XXVIII, in die Firminii episcopi. 1) In quo quidem bello plus quam quatuor milia hominum, secundum alios vero novem milia, corruerunt. Reynaldus igitur comes ex hac victoria nimium locupletatus atque tam ex inimicorum suorum spoliis, quam ex captivorum redempcionibus, supra modum ditatus, castra et mansiones curiales seu preclara palacia undique construxit: que ornatu et decore pulchriore supervestivit ac firmissimis propugnaculis communivit. Huiuscemodi siquidem durantibus temporibus, prout quedam domus Gelrie canit

---

1) Firminii dies respondet nostro d. XXV. m. Septembris.

litera, Adulphus episcopus, prepositus, decanus totumque capitulum ecclesie Leodiensis, consideratis suorum et ecclesie sue neces//sitatibus P. 132.
ac utilitatibus, propter grata servicia, oportuna presidia, que Reynaldus, comes Gelrie, ipsis et eorum ecclesie contra cives Leodii et ipsius ecclesie inimicos gratanter impendit et impendere non cessavit, matura deliberacione prehabita, de omnium eorum unanimi consensu, dederunt et concesserunt eidem comiti Gelrie, sponte et scienter, in augmentacionem sui feodi, quod progenitores sui et ipse ab eis et ecclesia Leodii antedicta hactenus tenuerunt, villam sive civitatem eorum Mecheliniensem ac alias villas, videlicet Heffen, Leest, Humbeke, Meysen, Hevere, Heyst, cum iuribus et pertinenciis suis omnibus, prout ad eos et predictam ecclesiam Leodii dinoscebantur pertinere. Omniaque ceterum bona, que Wilhelmus tercius, comes Hollandie, ab ipsis et eorum ecclesia quondam tenuit obligata, baluvio semper nobili viro Florentio, domino Mechelinie, Sophie, Reynaldi comitis conthoralis, genitori, omnibus suis iuribus, in premissis, a predicto comite et suis veris heredibus tenendos et imperpetuum hereditarie, tanquam sua propria, possidendos fructusque, redditus et proventus, exinde provenientes, levandos et in usus suos pro voluntate sua libere convertendos. Quam quidem civitatem Mecheliniensem, cum villis pretactis, Reynaldus, comes, propter longam a partibus suis Gelrie distanciam, tandem Henrico, comiti Flandrie 1), suo consanguineo, vendicione interveniente, tradidit perpetuo possidendam. Depost vero, dicto Florentio patre, Mecheliniensi // domino defuncto, idem comes, eandem pa- P. 133.
triam ad se, racione predicte coniugis sue Sophie, devolutam, cum minori filia sua Maria, Wilhelmo, Wilhelmi comitis Iuliacensis secundogenito, ulterius in dotem assignavit.

Hic eciam Reynaldus, comes, eodem tempore castrum Vollenhove et terram ibidem ac totam videlicet Sallandiam et Twenthiam, terram Transysalanam, a Iohanne de Diest, Traiectensi episcopo, pro quadam maxima pecuniarum summa, scilicet LXXII regalibus aureis, in vadimonium accepit. Que quidem pecunia filio suo, duci

---

1) Hoc loco in codice vox desideratur.

Reynaldo, per Iohannem de Arkel, episcopum Traiectensem, in redempcionem huiusmodi vadimonii, fuerat restituta.

Eodem quoque anno XXVIII predicto, expulsis iam pridem Tyelensibus ecclesia sancte Valburgis virginis cum ceteris suis concanonicis ac vicariis de opido Tyelensi, tunc sub ducis Brabancie dicione posito, ob quoddam nimis scandalosum disturbium ac intestinum dissidium, quod nimium iam invaluerat, inter clerum ex una et opidanos Tyelenses partibus ex altera, racione cuiusdam iniusti gravaminis ac indebite exactionis, quam predictus clerus frequenter exercebat in opidanis, cum colligerent census annuos a suis debitoribus. Unde indignati cives Tyelenses contra eos primo tumultuare ceperunt, demum, ausu temerario ac sacrilegio, quosdam trucidaverunt, quosdam ad ecclesie presidium anxie fugientes de
P. 134. turris // altitudine plebs furens precipitavit, ac de finibus eorum ignominiose profugavit. Tandem inter eos sub hac composicionis forma tale arbitrium promulgatum est: Ut clerus, omnibus suis venditis ac integre receptis, quo vellet libere abiret, tantum ut de civitate eorum procul recederet. Igitur clerus Tyelensis prediis, censibus ac mansionibus suis venditis, cum omnibus clenodiis et utensilibus ad opidum Arnhemiense ad refugium Reynaldi, comitis Gelrie, confugit. Quos Reynaldus cum civibus gratanter ac cum digno honore et reverentia ad inhabitandum susceperunt. Ubi, comparatis prediis ac areis, domos ibi in habitandum edificaverunt. Insuper basilicam sancte Walburgis, eorum patrone, novam a fundamentis erexerunt, quam, favore et auxilio Reynaldi, comitis, miro opere venustoque ornatu consummaverunt. Unde, quemadmodum pristinum locum mutaverunt, ita et vetustum nomen deponentes, nomine novo appellari voluerunt. Unde hodierna die eorum prelati, non Tyelenses prepositi sive decani et canonici, sed Arnhemienses appellantur. Ipsis igitur, ut dictum est, expulsis, fratres Theutonicales, in villa Hemert tunc habitantes, ecclesiamque
P. 135. sancte Walburgis, cum certis adiacentibus locis ac immunitate, // infra muros Tyelenses, perpetuo possessuri ac inhabitaturi, a civibus obtinuerunt.

Preterea, ut in cronicis Monasteriensibus describitur, anno XXIX, Ludovicus de Hassia, episcopus Monasteriensis, habens guerram cum

Reynaldo, comite Gelrie, Iohanne, rege Bohemie, Adulpho, episcopo Leodiensi, Iohanne, episcopo Traiectensi, Wilhelmo, comite Iuliacensi, Roberto, comite Flandrie, comite de Marcka, comite de Monte, comite de Artoys, comite Hollandie et cum quampluribus aliis comitibus, principibus, nobilibus et ipsorum adiutoribus, qui omnes, simul et semel, uno tempore, quam pluribus militibus equitum et peditum, terram et ecclesiam suam, violenter intrare et devastare volebant. Quibus omnibus resistebat, ac cum pergravi hominum multitudine ex Hungaria, Hassia, Thuringia, Franconia et aliis diversis partibus superioribus contracta, viriliter obviabat. Gratia tamen Domini et sancti Pauli, fugabat eosdem. Sed in hac guerra castrum Bredeword, quod ipse Ludovicus, episcopus, pridem ad ecclesiam Monasteriensem comparaverat, per negligenciam, a dicto Reynaldo, comite Gelrie, fuit captum.

Depost vero, anno XXX, tercio die mensis Ianuarii, idem comes Reynaldus cepit et debellavit, ac totaliter castrum et opidum Vreden, sub dominio episcopi constitutum, destruxit. Unde:

Annis milenis trecentisque novenis,
Hiis iunctis senis, Vreden // fuit addita penis, P. 136.
Nam male dampnavit comes hanc, quem Gelria pavit,
Rebus orbavit, post ignibus annichilavit.
Lux iam tercia, finalis perstitit ista. 1)

1) Operae pretium erit huc repetere quae scripsit Pontanus p. 213. „Vredenae municipium initio statim anni sequentis 1330, qui tertius Ianuarii fuit, Reinaldus vi cepit, et in eo castrum, ut et opidum, ad Episcopi Monasteriensis dioecesin proprie spectans, destruxit ac penitus divastavit. Adducit Berchemius ad indicandam aeram modo dictam rythmicos versiculos id temporis, ut videtur, usurpatos. Qui etiam propius inspecti hoc sane dicent, si nimirum *noveni* et *seni* anni bis sumantur. Versiculos ipsos, cuiusmodi et qualescunque sint, adscripsi:

Annis millenis, trecentis bisque novenis
Bis iunctis senis, Vreden fuit addita paenis:
Nam male damnavit Comes hanc, quam Gelria pavit,
Rebus orbavit, post ignibus annihilavit.
Lux iam tertia, fatalis perstitit illa.

Quamvis ipse Berchemii codex, quo usi sumus, versu primo et secundo *trecentisque novenis*, *his iunctis senis* praeferat, ut facile appareat ex claudicante

Tandem concordia inter ipsos, comitem Gelrie et episcopum, interveniente, per Iohannem de Diest, episcopum Traiectensem, ab eis arbitrum constitutum, fuit edictum: Quatenus ex composicione comes Gelrie nudum castrum de Bredeword, et episcopus Monasteriensis dominium et terram de Bredeword sic insimul obtinere et possidere deberent. Et sic predicta magna discordia fuerat sopita. Dictum tamen castrum et dominium de Bredeword per Wilhelmum, ducem Gelrie, posteriis diebus, Henrico, domino de Ghemen, pro certa pecuniarum summa, in vadimonium exstitit concessum.

Insuper anno XXXIIII orta est guerra et discordia, satis dura, inter Iohannem, ducem Brabancie ex una, Reynaldum, comitem Gelrie, principalem, suosque federatores, Iohannem, regem Bohemie, archiepiscopum Coloniensem, Adulphum, episcopum Leodiensem, episcopum Traiectensem, Wilhelmum Iuliacensem, Theodericum Clivensem, Wilhelmum Hollandie, de Flandria, de Monte, de Merca, de Artoys, de Lutzenborch, comites, Ludovicum Lossensem, Suessionis, Hannonie, Namurcensis dominoque [sic] Falconis et principes circumsedentes, numero decem et septem, de et super quibusdam iuribus, privilegiis et terrarum dominiis et eorum occasione, partibus
P. 137. ex altera: presertim // eciam, quia ipse dux Iohannes dictos principes hereditatibus suis defraudaverat. Plurimaque igitur dampna, comburendo villas suas, fecerunt. Comites tamen de Stampes et Barenses duci adheserunt. Huiusmodi igitur guerra inter dictos principes durante, Reynaldus, comes Gelrie, anno XXXV, in die Agnetis, 1) cepit et devastavit opidum Tyelense, muros eius totales

---

versu primo, desiderari aliquid et tale praesertim, ut calculus constet, cuiusmodi posuimus." Hucusque Pontanus, quem sanequam miror, quum semel hunc lapidem moveret, nihil annotasse de postremo versu, cuius quippe metrum aeque ac primi turpiter appareat esse violatum. Deficientem syllabam facile quidem supplebis si pro *iam* scribas *anni*, vel, quod propius accedit, *Iani* i. e. Ianuarii; sed quid pro *tertia*, quod metrum non admittit, substituendum sit, nescio, ni cui fortasse placeat aut bisyllabam facere hanc vocem aut scribere *terna*, quod in istius seculi poetastro non damnabitur. Equidem vero, si mihi pro lubitu meo versus concedatur reficiendus, scripserim:

Tertia lux Iani fatalis perstitit illi.

1) Est dies XXI. m. Ianuarii.

deiiciendo. Tandem Philippus VI, Francorum rex, post multa dampna, devastaciones, depredaciones et incendia, in alterutrum perpetrata, vices suas interponens, dictos principes, Iohannem, ducem, et Reynaldum, comitem, sibi federatos predictos, ad pacem et concordiam diversis mediis inducere conabatur. Unde denuo ipsi principes, Iohannes, dux, pro se, et Reynaldus, comes, pro se suisque confederatis principibus predictis, in eundem regem Philippum, tanquam arbitrum communem, ad pronunciandum sive senteneiandum in iure aut amicicia, vel partim in iure et partim in amicicia, de et super questionibus, controversiis et dissensionibus et diffidenciis inter eos, premissorum occasione, quomodolibet existentibus, de alto et basso, in solidum convenerunt et compromiserunt; seque de inviolabiliter per eundem eorum arbitrum, Philippum regem, pronunciata observando, sub maximis, ab utraque parte obligacione, submiserunt penis.

Predictus igitur Philippus rex, arbiter, ut prefertur, electus, mature deliberatus ipsos principes pacificando eorumque guerras severas sedando, // ut vim compromissi in eum initi, anno P. 138.
sequenti, videlicet XXXVI, in festo beate Agate virginis, 1) in primis pronunciavit confederationem omnium principum, Reynaldi et suorum assistencium predictorum, contra et adversus dictum ducem Iohannem esse nullam et invalidam, ipsosque ergo principes a federe, invicem inito, fore liberos et absolutos proclamavit. Interea pronunciavit omnia et singula dominia, districtus et allodia, quibuscunque nominibus intitulata, per ipsos duos principes ac eorum predecessores, hactenus disiuncte possessa, hinc inde perpetuis futuris temporibus, esse et censeri debere mere libera, et nullius ipsorum utrorumque principum, quovismodo feodalia seu aliquo alio iure constricta. Demum idem rex, futura mala precavendo, considerans, quod civitas Tyelensis, ducatus Brabancie, in comitatu Gelrie media consistebat, a ceteriisque civitatibus eiusdem hinc inde fines comitis sequestrabat, ac simili fere modo civitas et dominium de Hoesden, comitatus Gelrie, in ducatu Brabancie situata esset, pronunciavit et decrevit idem rex

1) Festum beatae Agathae virginis est dies noster V. m. Februarii.

quoddam permutacionis cambium in robur et ornamentum et maximum terrarum ipsorum principum ab utraque parte firmamentum, videlicet: Ut civitatem Tyelensem, Zandwiick, Herwerden, cum ceteris suis attinenciis, Reynaldus, comes, suique heredes perpetua libertate habere ac possidere deberet; Iohannes, Brabancie dux, civitatem et domi-
P.139. nium de // Hoesden cum suis pertinenciis eodem modo, cum eius successoribus, inperpetuum possideret viceversa et haberet. Ulterius per eundem regem Philippum, inter cetera, sentenciatum est: Reynaldus, ipsius Reynaldi comitis filius senior, Mariam, dicti Iohannis ducis filiam, cum ad annos pubertatis devenerit, in uxorem ducere deberet, cum ambo ad matrimonium contrahendum minorennes existerent; ipseque eciam dux, cum eadem sua filia, eidem Reynaldo 1) milia regalium aureorum in dotem assignaret. Buschoducenses quoque, qui ante illa tempora ascendendo et descendendo per alveos quatuor fluminum principalium comitatus Gelrie ad theolonia comitum eiusdem, de bonis suis propriis aliquid solvere fuerant inconsueti, deinceps, ut cetere naciones et civitates, ad eadem theolonia tenerentur. Prout de premissis omnibus et diversis aliis, per dictum regem pronunciatis, in literis desuper lingua Gallica confectis et apud principes ducatus Gelrie conservatis, plenius continetur.

Cumque posteriis temporibus Arnoldus, dux Gelrie, per Philippum, Burgundie Brabancieque ducem, de suorum ducatus Brabancie consilio, ad acceptandum ab ipso feodum sibique fidelitatis iuramentum prestandum, racione dominiorum suorum, Velue, Kessel, Bomelrewerd, Tyelrewerd et civitatis Tyelensis et aliorum districtuum, ac ad sibi solvendum et restituendum, per expressam pecuniarum summam, Reynaldo, duci Gelrie predicto, cum Maria, Iohannis ducis Brabancie filia, in dotem assignatam, de facto
P.140. requisitus // et monitus fuerat, diverseque dietaciones in Traiecto superiori, Arnhem et aliis locis desuper ab eorundem consiliariis tente fuissent, tandem dictis literis mencionatis, inter iura ducatus Gelrie inventis et in medium quoque productis et publicatis, ducis Brabancie consiliarii ab inceptis siluerunt, factum ipsum indiscussum

1) In codice hoc loco vox desideratur, qua significetur numerus milium.

dimittentes, quoniam premissa omnia, iuxta ipsius regis Francie pronunciacionem, inter duces eorumque predecessores ad effectum fuerunt deducta et hactenus firmiter observata.

Cumque hiis diebus Frisones, absque aliquibus ipsius comitis Reynaldi ac suorum demeritis sive culpis, territorium de Vollenhoven, cuius ipse ex parte ecclesie Traiectensis gessit regimen et tutelam, hostiliter intrantes popularentur, ibidem dapiferum ac alios quamplures eius et dicti territorii militares miserabiliter occiderunt. Nec hiis contenti quidem, territorium subverterunt et destruxerunt incendiis et rapinis. Civitas adhuc tyrannides et malicias tam abhominabiles, quam et crudeles inibi exercendo, quod eciam quemlibet Christianum ad compassionem merito commovebat, quodque, salvis ipsius comitis consciencia et honore, nec dissimulare nec supersedere poterat quoquovis, quin ipsis oportebat, ad hoc laborare et intendere iuxta posse, ut de tantis tot lesionibus, iniuriis atque dampnis pro ecclesia prefata et se ipso refusionem et emendam debitam consequeretur ab eisdem, ex cuiusmodi ipsius comitis conamine seu contemptu, eiusdem iniuriatores acceperunt occasionem frivolam et iniquam ipsum apud gretmoviros et iudices ceterosque Frisie pociores in singulis Frisie districtibus infa//mandi P. 141.
ac sibi imponendi, quod ipsos eorumque terminos impugnare et in suis libertatibus et privilegiis antiquis molestare ac ledere conaretur. Cuius rei revera ipse comes erat penitus innocens nec unquam talia contra eos, Deo teste, concepit: tanto gravius ex huiusmodi infamia commovebatur contra adversarios suos antedictos. Attamen, quia per gratiam Dei manere cupiebat, sicut hactenus fuerat, hic pacis, necnon cum prenominatis Frisonibus aliisque ipsius confinibus iura et iurisdictiones suas non immeantibus nec violantibus, servare, quantum in eo fuit, concordiam atque pacem. Sed dicti Frisones districtuum Zalandie talia locorum, tantas ecclesie et sibi comiti intulerunt violencias, dampna et iniurias in terris predictis, quod cum eis aliquam placiti diem voluit observare; sed si ecclesie predicte dicti Frisones, excessibus exigentibus et commissis condignam voluissent prestasse emendam, quam, iure ecclesie ipsiusque comitis honore salvis, poterat tolerare, gratanter erat recepturus. Hec omnia premissa ipse comes prefatus gretmannis et iudicibus cete-

7

risque Frisie pocioribus, ad eorum scriptorum literam, tenere significavit, se apud eosdem de impositis excusando, rogans curiose eosdem pro se, quatenus ob nullius cause respectum eos a bono pacis et concordie, hactenus inter eum et ipsos observate et firmius imposterum continuande, detrahere permittent. Cum vero antefati Frisones Zalandia de sceleribus et iniuriis, ut prefertur, perpetratis, emendam distulerint facere condignam, ipse Reynaldus, comes, bellorum incommoditatibus assuetus, rursum anno
P. 142. XXXVI preallegato, secundo Kalendas Septembris, // cum pergravi multitudine armatorum perveniens apud vadimonium suum Vollenhove, expugnavit ibidem Frisones iuxta villam Barseke, et obtinens victoriam ab eisdem, amplius quam duo milia Frisonum occisa sunt. Reynaldus vero cum suis, in magnis laude et honore, ad propria est reversus.

Legitur eciam in cronicis Clivensibus, quod inter Theodricum, comitem Clivensem, fratrem Ottonis, comitis, et Walramum, archiepiscopum Coloniensem, fuit guerra, in qua et repulsa obsidionis castri de Strunckede sibi fecit assistentiam sororius suus Reynaldus, comes Gelrie, et propterea impignoravit castrum Sevenaer, et postea per alios tractatus, in quibus predictus Reynaldus comitem prefatum de prehabita impignoratione et certis aliis quitum dixit.

Circa hec vero Reynaldi, comitis Gelrie, tempora, succedentium multorum magnorum bellorum inter Philippum, regem Francie antedictum, et Eduardum, regem Anglie, Alienore quidem duxisse Gelrie germanum, causa fuit. Nam anno XXXII, mortuo Karolo, rege Francie, fratre Ysabelle regine Anglie, ipsorum Eduardi et Alienore avonculo, et absque libero masculino decedente, rex Anglie Eduardus, filius sororis, successionem in regno Francie sibi de proximo vindicabat. Econtra Philippus, filius Karoli, comitis Valesii, patrui dicti Karoli, ac fratrum suorum Ludovici et Philippi, regum Francie predictorum, quasi de masculina linea descendens, succes-
P. 143. sionem regni sibi // competere contendens et ipsum regnum Francie apprehendens, se in regem Francie fecit coronari. Rex igitur Anglie Eduardus, Eduardi regis filius, postquam in regno Anglie convaluerat, consilio et hortatu Roberti, comitis Artysie, e regno Francie expulsi, vires suas contra dictum Philippum, regem Francie, ex-

tendens, auxilio extranearum nacionum, videlicet maiorum, principum et nobilium multorum de Germania. Item predicta et sequentia habentur ad longum in cronicis Brabancie, Flandrie et Hollandie, ut dicitur, de litera Ludovici, imperatoris, qualiter Eduardum constituebat vicarium suum. Hic Eduardus bellum habuit contra regem Scocie, et obtenta victoria gloriosa contra eundem. In quo quidem bello fertur iuventutem et omnes viros militares occisos in conflictu, plus quam XVIII milia hominum de Scocia corruisse. Reynaldus vero, dux Gelrie, valedicens regi Anglie Eduardo, ad terram propriam gloriose est reversus; populus autem Gelrensis, duci suo occurrens, cum magno gaudio eum susceperunt. Reversusque cepit totam terram suam in pace disponere, cum Traiectensibus ac vicinis principibus federa firmare, cunctos grassatores ulcione severa corrigere. Hic insuper egregius princeps Reynaldus, Deo gratus, pro tanta victoria, ut superius deducitur, de Leodiensibus obtenta, existens, unde eciam, ut Divini nominis cultum ad perhennem sui nominis laudem ampliaret, monasterium solempnissimum ordinis Cartusiensis, Monichusen nuncupatum, in parochia // Arnhemensi P. 144.
situatum, una cum conthorali sua Alienora, fundavit et possessionibus sufficientibus hereditavit. Quod tamen, ipsius ducis Reynaldi obitu interveniente, incompletum relictum, per Alienoram ac Wilhelmum, Gelrie ducem, in omnibus fere eius structuris preciose extitit superedificatum. Sane cum ipse Reynaldus dux ipsum monasterium Monichusen, pro voto, quod voverat, fundare et inchoare vellet, de loco ad locum, hinc inde equitans, placentem sibi locum, aut satis aptum pro libitu non invenit. Cui tandem occurrens pauper quidam, fere septuagenarius, dixit: »Domine, scio locum vobis a Deo preordinatum," quo cum devenisset, dixit: »Hic multis annis audivi concentus celebres, ardencia vidi luminaria et mira fieri festa." Quod audiens devotus abbas Insule beate Marie, Premonstratensis ordinis, ibi presens, continuo descendit de equo et, oracione super terram in genibus facta, audivit vocem, dicentem: »Hic est locus meus." Monasterium igitur ibidem plene, ut premittitur, edificatum et reddituatum, sub districtione ordinis Carthusiensium, usque hodie floret in spiritualibus et temporalibus.

Cumque illis in diebus nobilis duxissa Alienora, ut fertur, a

viri sui Reynaldi, ducis, consorcio, de quorundam pravorum consiliariorum suorum sinistra informacione, eam, propter faciei sue altum colorem, de specie lepre suspectam habentium, ad aliqua
P. 145. tempora segregata foret, quadam // vice super nudo corpore camisia subtilissima de serico induta, desuperque pallio cooperta, filios suos ambos, Reynaldum et Eduardum, in ambas tenens manus, captata hora, in palacio Novimagensi, duci Reynaldo, viro suo, et ducatus Gelrie primatibus, tunc inibi convocatis, ad mensam se reficiendo consedentibus, presentavit; pallioque et camisia usque ad eius pudibunda dimissis, mirandose omnibus audientibus, ad ducem lacrimose prorupit in hec verba: »Domine mi dilecte, nunc rogo, ut de vicio mihi frivole imposito diligenter inspicere et examinare dignemini, si non sum ut cetere mulieres, nullum Deo favente in corpore gerens defectum. Ecce hic vivi filii nostri, vestro astantes conspectui, quorum gratia Dei plures fuissent, si vestri ex parte huiusmodi maleficium non intervenisset impedimentum. Forsan adhuc tempus veniet, quod Gelrie populus hoc nostrum deplorabit divortium, cum in vestro sanguine se videbunt deficere." Quod, proch dolor, ita accidit et posteris temporibus fuit adimpletum. Nam ab nativitate Eduardi, secundogeniti ducis Reynaldi, videlicet anno MCCCXXXVI, usque ad nativitatem Adulphi, filii Arnoldi ducis, qua habebatur annus millesimus quadringentesimus tricesimus nonus, effluxerunt centum et tres anni, quod duces Gelrie de nobili domo Gelrie non processerunt. Reynaldus igitur dux, cernens suam coniugem Alienoram corporis mundicia nitentem seque de vicio sinistre imposito purgantem, mesticia repletus,
P. 146. dolens eam dimisisse, stetit confusus et ceteri // primates cum eo; sed non multo post hoc supervixit tempore.

Ipse eciam Reynaldus, dux, spiritu profecie dicitur claruisse. Nam Wilhelmum tercium, comitem Hollandie XIX, a Frisonibus predixit occidendum, dum ipsum de sacro fonte suscepit. Quod anno XLV postmodum in Frisia, apud Stauriam, iuxta ipsius Reynaldi, ducis, vaticinium fuit adimpletum.

Ultimum, cum omnia viventia mortis subduntur imperio, fortissimus belligerator et victoriosissimus propugnator hic, Deo permittente, illustris Reynaldus, primarius dux Gelrie, cum fusco

capite nuncupatus, a populo Gelrensi longis temporibus lugendus, postquam dominiis Gelrensibus XXIIII annis, (octo videlicet tempore captivitatis patris sui, Reynaldi, comitis, ut administrator, post mortem vero eiusdem, duodecim ut comes, et quatuor ut dux), in magnis laude et honore prefuisset, anno Domini MCCCXLIII, IIII Idus Octobris 1), qui fuit XI dies mensis eiusdem, tempore Ludovici, regis Romanorum seu imperatoris, in civitate Arnhemensi, post missam coram eo celebratam, [morte] improvisa et subitanea, qua eum sorores sue carnales, ordinis sancte Clare, conventus Coloniensis, supra dicte, fere per annum spiritu profetico casurum predixerant, inter suorum manus decedens, lassum exalavit spiritum, et in monasterio Vallis Comitis, in capella beate Virginis anteriori, apud predecessores suos luctuose sepelitur. Cuius hoc erat epithaphium, in ipsius Marie ecclesia ad parietem pendens scriptum:

2) Gelra, fle florem cecidisse tuumque decorem,
Iustum rectorem, // sic milicieque valorem, P. 147.
Legis amatorem, Reynaldum nobiliorem,
Ac defensorem patrie cunctis probiorem.
Dapsilis, excellens fuit hic, nec avarus,
Illustris, gnarus, probus, armis, iurgia pellens.
Claustri fundator de Monechuys atque parator.
Sic dispensator, inopum quoque largus amator,
Primus dux gratus Gelrie fuit iste creatus.
Morti donatus celo sit, queso, beatus.
Post Gereon pariter M, C ter, X quater, I ter.

Item alia metra de eodem duce Reynaldo:

Anno milleno ter C, quater X, quoque terno,
Reynaldus princeps illustris duxque deinceps

---

1) Ut alterum alteri respondeat, scribendum erit *quinto Idus Octobris*, nam de *undecimo* non videtur dubitandum, utpote quod confirmatur penultimo versu carminis posterioris.

2) Melius est, quod ex Chronico Magno s. Belgico se habere dixit Pontanus p. 242. *Gelria, dic florem cecidisse t. q. d.* In sequentibus metrum versus leonini postulat ut legamus, quod et Pontanus dedit:

Dapsilis, excellens, probus, armis iurgia pellens,
Illustris, gnarus fuit hic, simul haud quoque avarus.

Primus Gelrensis, undeno lumine mensis
Octobris, mundo migravit ab hoc moribundo.

Reynaldus tercius, dux Gelrie secundus et comes Zutphaniensis, princeps illustris et generosus, anno Domini MCCCXLIII, tempore Ludovici quarti, Romanorum imperatoris, patri suo, duci, decimo etatis sue anno, succedens, anno XLVII, prima die mensis Iulii, in Vura duxit in uxorem Mariam, Iohannis, ducis Brabancie, filiam iuniorem, sibi, tempore vite patris sui, ut prefertur, desponsatam, cuius sorores Wilhelmus, comes Hollandie, et comes Flandrie habuerunt in uxores. Ipsa vero Maria, duxissa Gelrie, Reynaldo, duce, marito suo, postmodum a fratre suo Eduardo in bello Tyelensi capto, et ad decem-annos in captivitate detento, edificavit castrum Oyen,
P. 148. in quo se et in Turnout, // patrimonio suo, in pace deinceps continebat; unde volgariter domina de Turnout dicebatur. Que tandem in Brabancia, anno XCIX, prima die Marcii, absque liberiis, decessit a seculo.

Interea anno XLVI in partibus Gelrie quoque magna et indetestabilis surrexit parcialitas, que per sedecim continuos duravit annos, de qua insecuta indicibilia mala; et, volgus ducatus Gelrie in contraria vota dividentes, alii se vocabant Hekers, alii se Bronchorst nominabant. Hekers quidem Reynaldum, seniorem, ducem predictum, Bronchorst vero Eduardum, iuniorem fratrem ducis eiusdem, in dominos et duces Gelrie assumpserunt. In cuius sedicionis discidio dicte partes, principes et populi sibi invicem adversantes, gentes et populus externarum nacionum, videlicet de Brabancia, Hollandia, Clivis, Traiectensibus, Monasteriensibus, Markensibus, Westfalibus et aliis vicinis sibi regionibus, ad armorum stipendia advocantes, passim vicini vicinos, cognati cognatos, mutuis se bellis, sedicionibus, prodicionibus et vastacionibus, per multa postmodum annorum tempora pessundabant. Quanta vero pericula, quot dampna, qualem desolacionem, ex hac partium sedicione Gelria sustinuerit, civitatum, villarum atque municipiorum undique testantur solitudines et ruine. Unde eodem anno, in vigilia Bartholomei apostoli, Theodricus de
P. 149. Monyoie, Walramus, Vorne // et de Vackenbroch, [sic] dominus ac Zelandie burggravius, dominus de Asperen et Iohannes, dominus de Arkel, qui partem cum Reynaldo duce assumpserant, inierunt

opidum Tyel, et turrim ecclesie sancte Walburgis, cum centum et quadraginta quinque hominibus, qui in eam confugerant, combusserunt: et ignis, validior fiens atque pervolans, partem ecclesie interiorem, in modum crucis facte, cum tecto eius plumbeo, consumpsit.

Hiis itaque temporibus, videlicet anno eodem, Eduardus, rex Anglie, ipsorum Reynaldi et Eduardi, ducum Gelrie, avonculus supra memoratus, ad littora Normannie applicans, terras regni Francie longe lateque igne et ferro vastavit, ut ad longius habetur in cronicis Brabancie, Flandrie, Hollandie etc. In hac eciam obsidione Reynaldus, dux Gelrie, licet adhuc iuvenis, Eduardo, Anglie regi, suo avonculo, cum magno procerum, militarium et armigerorum suorum exercitu, accessit in auxilium. In qua, se magni temporis spacium cum suis perseverando, terram Gelrensem plurimis involvit dampnis et expensis.

Eduardus, inquam, Anglie rex, de carissime sororis sue Alionore, duxisse, et dicti nepotis sui dilectissimi Reynaldi, ducis Gelrie, secum manentium, consensu et bona voluntate, ob ipsius Reynaldi iuvenilem etatem, ducatui Gelrie et comitatui Zutphanie, de idoneo gubernatore providere cupiens, anno XLVII, XXII die mensis Marcii, regni sui Anglie anno XXI, Francie vero VIII, Wilhelmum, marchionem Iuliacensem, ibidem presentem, ad biennium, a festo Pasche // ex tunc futuro incipiens, prefecit in rectorem et pre- P. 150.
ceptorem, mandans sibi ab eisdem huiusmodi biennii spacio, uti ipsi regi, in omnibus reverenter obedire et parere, literasque desuper, omnium suorum sigillis communitas, concedendo.

Demum Eduardus, rex, perpendens Iohannem, ducem Brabancie pridem in usum et opus Philippi, regis Francie, secum, ut supra patet, dolose egisse, idcirco sexta die mensis, ex tunc in festo Iohannis, ante portam Latinam, proxime sequens matrimonium inter nepotem suum Reynaldum et Mariam, ipsius Iohannis, ducis, filiam iuniorem, deinde tempore patris sui Reynaldi de invicem contrahendo convencionem et conclusum, impediendo, eidem nepoti suo Reynaldo, in ipsa obsidione de Caleys, nobilem Elizabet, prelibati marchionis Iuliacensis filiam, in uxorem desponsavit. Ipse tamen Reynaldus, dux, in reversione, saniori suorum usus consilio, huiusmodi desponsacione postposita, dictam Mariam, ducis Iohannis

filiam, quondam per patrem suum Reynaldum sibi desponsatam, prima die mensis Iunii exinde sequentis, in Vura, ducatus Brabancie, in lectum accepit conthoralem. Cum autem ista per ipsum regem Anglie, citra mare tam feliciter agerent, rex Scocie regnum Anglie, in ipsius absencia, cum valida manu hostiliter ingressus, resistentibus sibi dicti regis Anglie partibus, commisso hinc inde bello, per amicos regis Anglie victus fuit et captus. Inter hec
P. 151. mortuo Philippo, Francorum rege, Iohannes, filius // eius, in regno successit eidem. Qui tandem in finibus civitatis Pictaviensis cum principe Wallie, ipsius regis Anglie Eduardi filio, committens cruentum bellum, ab eodem cum filio suo iuniori Philippo, Burgundie duce, et multis aliis nobilibus, capitur ac secum in Angliam abducitur. Et sic rex Anglie predictus, mirabili fortune beneficio, in brevi temporis spacio, de duobus regibus, potencia et viribus magnis, videlicet Francie et Scocie regibus, victoriam consecutus, in sua custodia simul repositis, feliciter triumphavit.

Ad propositum nempe redeundo, anno XLIIII, in die sancte Praxenidis virginis, 1) Iohannes, dux Brabancie, Reynaldi, ducis Gelrie, filii sui supradicti, fretus auxilio, contra Leodienses validum eduxit exercitum et aciebus ambarum partium, prope civitatem Haymoyt, in quodam campo Turmes dicto, dispositis, Reynaldus dux a duce Iohanne, in decimo quinto etatis sue anno, in militem creatur. Commisso igitur cum Leodiensibus bello cruento, Iohanni et Reynaldo, ducibus, de eisdem successit victoria, de Leodiensibus ultra XXXII hominum milia interemptis. De parte vero Reynaldi, ducis, dominus Hupertus Schencke, dominus de Culenburch, dominus Robertus de Arkel, dominus de Afferen, dominus Balduwinus de Batenburch, dominus Bertoldus de Oy, burggravius Novimagensis, cum septem sui generis de Oy, et multi cum eis nobiles in ipso conflictu corruerunt; dictusque Reynaldus, dux, ad propria cum
P. 152. magna suorum laude // est reversus.

Cumque, procurante diabolo, humani generis inimico, anno Domini MCCCL et circiter, magnarum guerrarum discordia inter fratres ducesque Gelrie, Reynaldum et Eduardum, atque naciones et partes de Hekeren

1) Dies Sanctae Praxenidis virginis est dies XXI. m. Iulii.

et Bronchorst, proch dolor, ut predicitur, exorta, validiori potencia in regnando deseviret, Reynaldus, dux, per germanum suum Eduardum, volentem eum ducatu Gelrie privare, per totum ipsum fere ducatum infinitis involvebatur guerris et discordiis. Nam multi barones, potentes et nobiles, civitates, ville et castra, se ab ipsius Reynaldi, ducis, obediencia subtrahentes, Eduardo adheserunt et astruxerunt: et contra se mutuo insurgentes, multos conflictus civiles, excidia, homicidia, suspendia, submersiones, subfossiones et alia mortis iudicia in alterutrum dire commiserunt. Quibus eciam guerris durantibus terrarumque villis undique evacuatis, ducatus Gelrie totaliter desolatus, nullum ex se, a dicto L. anno usque captivitatem Reynaldi, ducis, infra dicendam, humano generi protulit fructum. Huiuscemodi terrarum Gelrensium lamentabili desolacione durante, Iohannes, dux Brabancie, ipsius Reynaldi, ducis, conthoralis genitor, Iohannes, comes Clivensis, dictorum duorum fratrum Gelrie germane maritus, et Adulphus de Merka, episcopus Monasteriensis, ipsius Iohannis, comitis, avonculi sui amore, se cum pluribus terrarum potentibus, cum Reynaldo astrinxerunt. Sed Engelbertus, // comes de P. 153.
Merka, predicti Adulphi, episcopi, germanus, Eduardo contra dictos principes fortiter assistebat, miserabilem illam parcialitatem et guerram usque ad annum LV hinc inde continuando. Sed statim iterum et iterum redieruut ad guerram; que tandem per quatuor principales civitates terre Gelrensis per pronunciacionem, in vim compromissi, anno LVIII ad tempus fuerat pacificata. Composicione demum interrupta, guerra ipsa usque ad tempus captivitatis ducis Reynaldi fuit agitata.

Insuper dictarum guerrarum temporibus, videlicet anno LV, quoddam volgus in Velua, assumens partem ducis Reynaldi, eo quod ab omni tributo cerocensuali, servitute et proprietate sibi debitis, eos libertaverat, in Velua et dicione Arnhemensi plurima commisit dampna. Unde factum fuit proverbium: De vryen orloghe. Unde:

Annis M, ter C, X quinis comitante, 1)
Plebs, Vryen dicta, facit Arnhem claudere portas,

---

1) Pontanus p. 264 ubi hoc carmen memorat, omisit versum primum, qui et metro claudicat et in summa annorum deficit. Utrique vitio consules si scribas :

Annis M, ter C, X quinis, V comitante.

Molitur lapides confringere, lignea, sepes.
Quis unquam perceperat talia, dic rogo, facta? 1)

Contra quod quidem volgus illustrissimi viri, Wilhelmus, dominus de Bronchorst, et dominus de Baer, de parte Eduardi, tandem educentes exercitum, cum eodem, prope villam Loenen, in quodam monte, Vryenberch dicto, congrediuntur. Quibus hinc inde fortiter bellantibus, domino de Bronchorst cessit victoria. Mendone signifero
P. 154. cum suo volgu, ipsoque // eciam domino de Baer, cum pluribus aliis, cadentibus in prelio.

Diebus, inquam, istis, Wilhelmus et Emericus de Drueten, fratres, milites strennui castri de Lewen, parti Eduardi faventes, in die sancte Pasche, ecclesiam parochialem pro divino officio audiendo visitaturi: Wilhelmus, in ponte castri fracto collo pedis, ob ipsius diffortunii signum retractus, ulterius progredi timebat; Emericus, Deo creatori suo se commendans, ecclesiam adivit. Sed, proch dolor, omni mesticia referendum: Quidam pestiferi perdicionum filii de parte Reynaldi, Deo et ecclesie minime parcentes, tempore elevacionis vivifici sacramenti corporis Christi pro omnium salute, in ecclesiam irruentes, ipsum militem, altare summum fuge presidio scandentem, iuxta corpus Christi, quod presbyter super militem expansis manibus in ipsius defensionem tenuerat, conservari manentem in eodem altari, coram venerabili sacramento, trucidaverunt, ipsiusque sanguine, per corpus erumpente, locum canonis in missali, quod presbyter celebrabat, rubricaverunt; presbyterum eciam illum manus cum sacramento a milite gladiis et lanceis retrahere coegerunt. Qui, nisi eis obtemperasset, manus, corpus Domini baiulantes, amputassent eumque in altari cum milite sic Deo consecrassent. Mesericordissimo tamen Deo se de eisdem sceleratis vindicante, omnes illi paupertate, infamia, repentina ac mala morte perierunt et cum eorum posteris in sanguine noscibiliter defecerunt.

P. 155. // Illis eciam diebus quidam Theodricus de Lent, cum suis in castellis de Lent et Buynswerd se continens, plurimas civitati Novimagensi continuo intulit molestias. Unde Eduardus cum Novima-

1) In postremo versu qui claudicanti metro subvenire volet, per transpositioem verborum scribere poterit:

Quis unquam, dic, talia percepit, rogo, facta?

gensibus, Buynswerd undique vallatum capiens, XXVI et circiter viros in eodem comprehensos, uno duntaxat de eisdem, subito grabbato humeris suis imposito, amici specie, evadente, prope monticulum Hoftberghe mandavit decollari: capitaque eorum stipitibus in ipsius monticuli circuitu, ad inimicorum suorum terrorem, fecit axaltari. De quorum nece monticulus ille, Mons capitum, in hodiernum diem ab incolis nuncupatur.

Plurima eciam mala inimicorum suorum illis diebus cepit, et devastavit castra, ut puta Lent, Bommel, Zulen, Avesait, Tuyl, Apelteren, Loenen, Doernyck, Gurderen, Balveren etc.

Eduardus, inquam, civitatem Novimagensem sibi habens federatam, ex eadem finaliter contra Reynaldum, ducem, tocius patrie Gelrensis obtinuit principatum. Nichilominus tamen constat, Reynaldum, ducem, Iohannemque, comitem Clivensem, illarum guerrarum temporibus, de parte ipsius Reynaldi, principalem, cum parte sua, in multis exercitiis bellicis contra dictam partem Eduardi prevaluisse et plurima opida Gelrensium, alteram partem tenentium, sibi per violenciam subiugavisse, videlicet Arnhem, Venlo, Doesburch, Tyel, Emerick et Lobeeck. Quorum occasione idem Iohannes, comes, maxima onera debitorum, pro quibus sua opida et suos pluriformiter obligaverat, ex registris suis conspicitur subiisse // et redditus P. 156.
ac bona sua multiformiter aggravasse. Cumque, ut premissum est, Adulphus, episcopus Monasteriensis, amore predicti Iohannis, comitis Clivensis, sui avonculi, partes de Hekeren foveret et iuvaret, plures contra eum nobiles Monasteriensis diocesis circumiacentes ac alii vasalli et ministeriales diocesis eiusdem, tam ex stipendiis quam ex aliis causis, partem alteram de Bronchorst fovebant et iuvabant, ecclesie Monasteriensi gravissima dampna incendiis et rapinis, quasi absque aliqua resistentia, faciebant et terram devastabant; et cum Adulphus cum suis se plus defendere non potuit, ex tunc quamplurimas literas repressiales omnibus volentibus eum adiuvare, large et prodige ad omnium voluntatem erogavit: de quibus maiora et graviora dampna, quam de omnibus predictis guerris, ecclesie Monasteriensi pluribus annis evenerunt. Et sic in hac desolacione eiusdem ecclesie, Adulphus per alios tres annos ecclesiam ipsam gubernavit. Quibus elapsis, ad ecclesiam Coloniensem per papam

Urbanum v est translatus. Qua eciam post annum dimissa, post mortem prelibati avonculi sui Iohannis, comitis Clivensis, auxilio fratris sui Engelberti, comitis de Marka, comes Clivensis est effectus.

Hec de Iohanne, Clivense comite, et Adulpho, episcopo, ex cronicis Clivensibus et Monasteriensibus sunt exscripta.

Ad ultimum Reynaldus, dux, cum exercitu valido partis Hekers, anno Domini MCCCLXI, obsedit civitatem Tyel, eo, quod Tyelenses
157. partem cum fratre suo Eduardo assumpserant. // Eduardus vero, anxietatem civitatis sue Tyelensis percipiens, magno cum exercitu, ad procul pellendum Reynaldum, ducem, ab ipsa obsidione, ex Novimagio celeriter accessit. Commissoque in festo Urbani ad invicem bello et victoria cedente Eduardo, Reynaldus, dux, in XXVIII etatis sue anno, ducatus vero Gelrie XVIII, ab ipso fratre suo Eduardo capitur, una cum domino de Liinden, Arnoldo de Arkel, Gerardo de Reno, Fredrico van der Aze, baronibus ac pluribus aliis militibus et armigeris, multisque eciam nobilibus et aliis hominibus de parte ducis Reynaldi interfectis. De exercitu Eduardi pauci referuntur corruisse.

Eduardus nempe, huiusmodi prosperatus adversariorum suorum contradictionem et rebellionem cessans quibuscunque tocius Gelrie et Zutphanie, ad dies vite sue in pace obtinuit principatum; fratremque suum Reynaldum decem continuis annis in suis castris, quandoque videlicet in Rosendall et quandoque in Nyenbeeck, prope Zutphaniam super Isalam, detinuit captivum, omnem humanitatem vite sibi, ut decuit, excellenter exhibendo. Constat autem ipsum Eduardum, tunc Gelrie ducem, absque emancipacione, dicto fratri suo Reynaldo duci curiose excogitatam custodiam adhibuisse. Nam cum Reynaldus captus esset pinguis et supra modum carnosus, adeo, quod duorum fortium hominum spacium excederet in latitudine corporis et mensura, frater eius Eduardus, ipsum detinens, adhibitis
P. 158. sibi custodibus, // omnes aperturas domus, in qua tenebatur, tam fenestras quam ostia, tanta fecit artitudine componi, quod familiaribus et servientibus facilis fuit per ipsas transitus, fratri vero Reynaldo, adeo carnoso, non patuit recessus vel introitus per easdem.

Preenarratis namque guerrarum temporibus, Gerhardus et Wilhelmus, fratres, in annis adolescencie adhuc constituti, quorundam de

patria consilio depravati, nature reverencia postposita, patrem suum Wilhelmum, marchionem Iuliacensem, capientes, in vincula coniecerunt, ipsum per aliquot annos in arta carceris custodia retinentes.

Ceterum eisdem temporibus, videlicet anno MCCCLX, certa societas Archipresbyteri prevaluit in Francia, confluentibus ad eum undecunque latronibus, predonibus et maleficis ex utriusque regnis, scilicet Anglie et Francie, qui Franciam denuo vastant. Archipresbyter miles fuit, cuius tota parentela sic cognominabatur: et scripsit se correctorem orbis, inimicum omnium et flagellum Dei, sicut olim Atthila, Hunnorum rex. Eodem igitur anno Gerardus, comes Montensis, filius Wilhelmi, marchionis, primogenitus, (qui eundem patrem ceperat, accusans ipsum de sodomia, et tamen per principes coactus est dimittere eum) hic, inquam, comes Montensis, volens ire contra societatem magnam Archipresbyteri, in via rogavit eundem dominus de Gleiden, Eyflie, et prope Gleidam, ut secum // iret per bellum contra dominum de Ysenborch et Arnoldum, P. 159.
comitem de Blankenhem et plures alios, quos diffidaverat comes. Igitur bello prope Gleidam, et pluribus hinc inde interfectis, ipsi comites Montensis et de Blanckenhem se mutuo occiderunt. Demum Archipresbyter vocatus per Karolum, imperatorem, venit ad Alsaciam cum societate, voluitque eos transducere per Ungariam ad Cyprum. Sed Argentinenses destruxerunt naves, ne transirent; et sic devastaverunt Alsaciam et omnia extra muros annichilaverunt. Imperator, inquam, collecto exercitu, volens pugnare contra eosdem, de nocte recesserunt et ad Franciam redierunt, ubi Archipresbyter a sibi maxime familiaribus interfectus est, et statim post eum evanuit societas. Sequenti vero anno LXI, in principio quadragesime, marchio Iuliacensis, Wilhelmus prelibatus, mortuus est. Eadem nocte celum adeo ignitum apparuit, ut ab omnibus putaretur arsisse partem unam alicuius civitatis; et secundum Iohannem signat pestilencias et mortes potentium futuras.

Preenarratis guerrarum temporibus, videlicet anno LVII, in solempni curia principum, per Karolum quartum, Romanorum imperatorem, Metis, in festo nativitatis Domini celebrata, Wilhelmus, marchio Iuliacensis secundus, Wilhelmi et Reynaldi, ducum, genitrix (sic) ab eodem imperatore ad ducatus fastigium fuit sublimatus.

P. 160. // Eduardus, dux Gelrie et comes Zutphanie, princeps famosus et victoriosus, annorum viginti, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, tempore Karoli quarti, Romanorum imperatoris, ducatum Gelrie et comitatum Zutphaniensem, de manibus ducis Reynaldi bellicose auferens, pro eo dominabatur. Hic habuit in coniugem Katerinam, filiam Alberti de Bavaria, comitis Hollandie, sed morte preventus, ab eodem virgo et vidua permansit. Unde ad eius manicas, post ipsius Eduardi mariti sui obitum, huiusmodi scripturam intextam deferre solebat: »Virgo sum et vidua. Hoc sit conquestum Altissimo." Ipsa vero depost nemini terrarum principi, preterquam alicui domus Gelrie domino, coniugaliter voluit sociari. Qua de causa postmodum Wilhelmo, duci Gelrie, dicti Eduardi, ducis, ex sorore nepoti, auctoritate apostolica suffragante, matrimonialiter fuit coniuncta.

Hiis temporibus, videlicet anno LXII, feria quinta post festum Iacobi apostoli, Iohannes de Arkel, episcopus Traiectensis, cum valido armatorum exercitu, castrum munitissimum Voerst, apud Swollis, tocius patrie munitissimum, obsedit: quod potenter expugnavit, et tandem nona die mensis Novembris cepit et funditus destruxit, Eduardum, ducem Gelrie, habens in fautorem, et Albertum, comitem Hollandie, in contrarium.

P. 161. Sub hoc duce Eduardo, anno LXIIII, ultima // Marcii, ex Wilhelmo, primo duce Iuliacensi, et coniuge eius Maria, prefatorum ducum Gelriae sorore, processit ille magnanimus et potens Wilhelmus, Gelrie et Iulie dux. Huius nempe Eduardi, ducis, Iohannes, comes Clivensis, germanam Mechtildem, relictam quondam Godefridi, ultimi comitis Lossensis, habens in uxorem, peciit Duell et alia bona, sibi in dotem deputata, per ipsum ducem assignari. Que obtinere nequiens, ad multa tempora inimici facti sunt, ad invicem diversa dampna, incendia, depredaciones et devastaciones in alterutrum committendo. Unde circa annum LXIIII quidam iniquitatis viri, Otto, dominus de castro Loenen, Bathue, miles, et Heynricus Boet, ipsius ducis secretarius, quorum consilio tocius patrie singula disponebantur negocia, dicti comitis interveniente pecunia et promissione corrupti, ducem Eduardum, eorum dominum, cum civitate Novimagensi, in ipsius comitis potestatem, uti convenerant, tradere

disponebant. Quapropter comes gravi suorum exercitu, Dominice resurrectionis nocte, de prefatorum traditorum consilio sibi notificato, a Clivis veniens, Novimagium et castrum cum eorum duce capere satagebat. Sed prius Deus, qui suis numquam deest amicis, aliter in ipsa providit hora. Nam aurora adveniente tonitrua et choruscaciones horribiliter apparuerunt imbresque operuerunt terram et caligo populos. Quorum occasione comes, cum suo maligno frustratus proposito, ulterius progredi non audens, Clivis remeavit. Quod cum dictis traditoribus latuisset, nuncius ab eis comiti, super ipsius contumacia, cum literis directus, // in Duflia per Iohannem P. 162.
de Benthem, militem, ducatus Gelrie marschalcum, detentus, et cum literis, per eum prius examinatus, Eduardo, duci, in castro Novimagensi presentatus. Otto de Loenen et Heynricus Boet, huiusmodi traditamenti principales, comprehenduntur et, (prout meruerunt penam,) Otto quidem gladio consumitur et Heynricus, qui literam scripserat, in quatuor partes dividitur. Dicti eciam iniquitatis viri fatebantur, ac in dicta eorum continebatur litera, prefato designato tempore, portas civitatis et castri Novimagensis, quorum clavigeri extiterant, dicto comiti et suis intraturis, iuxta ipsorum ordinacionem, fuisse aperiendas, civitatemque quoque Noviomagensem in ipsius quatuor angulis incendendam, atque singulos quaqua parte civitatis puteos obstruendos, si ipsius comitis presentiam certis eorum indiciis, uti concluserant supradicta resurrectionis Dominice nocte, agnovissent. Quod tamen alio tempore perficiendum venisset, si dictus nuncius, ab ipsis super hoc emissus, cum pretactis eorum literis deprehensus non fuisset.

Sequitur inde anno LXVI etc. [sic]

Quo finito, sequitur annus, cum Eduardus, dux, curiam ducalem, per eum ex fundamentis ad muros civitatis de Goch sumptuose construxisset, illique latrinam versus fluviolum, Nyers nuncupatum, propriis usibus deservientem, applicuisset, quidam crudelis carnifex, considerans ipsum ducem dictum locum frequenter // visitare, ex P. 163.
navicula per aliquantillum desubter retro tramite descendente, ductus contemplacionibus ipsius Iohannis, comitis Clivensis, lancea vibrata transfigere intendebat; ipsiusque igitur comitis consilium, consuetudinem et favorem desuper requirebat. Comes hoc intelligens,

eundem crudelem hominem dire redarguens, cum nullatenus ipsius ducis interitum sed tantummodo bona sua expeteret. Hec igitur omnia Eduardo, duci, socero suo patefecit, eum desuper aversando. Quo cognito, dux a guerris contra ipsum comitem amplius quievit secumque composuit, Embricam pro certa pecuniarum summa, nomine dotis, dicte sorori sue debita, sibi impignorando. Huius proprietas per Reynaldum, ducem, nepotem suum, ut infra audietur, a ducatu Gelrie hereditarie fuit alienata.

Demum anno LXVI, in nocte Mathei apostoli, Goswinus de Vauderic conscendit et cepit opidum Zautbomel, quod suorum auxilio fortiter munivit. Eduardus autem dux hoc percipiens, illuc celeriter accessit, ipsumque opidum, fortiter obsessum, de ipsius Gosewini, nocte latenter evadentis, et suorum eripuit manibus. In quo plures Brabantini, cum domicello de Perwisch existentes, ab ipso Eduardo, duce, fuerunt decollati.

Huius vero Eduardi, ducis, temporibus, anno LXVIII, XIX die mensis Novembris, decedente Iohanne, comite Clivensi, sine prole ab eo relicta, magna oriebatur controversia inter ipsius comitis nepotes super successione hereditaria ad comitatum Clivensem, P.164. videlicet: Theodricum, dominum de Horne // et de Perwisch, primogenitum Yringardis, domine de Horne, sororis senioris Iohannis, comitis, qui et habuit possessionem castri, opidi et dominii de Cranenburgh, titulo pignoris, ex una parte, et Ottonem, dominum de Erkel, primogenitum Ergardis, domine de Erkel, filie unigenite comitis Clivensis ex alia parte, atque Adulphum, secundogenitum de Marka, tunc possessorem castri, opidi ac theolonii de Berka, titulo pignoris, ex tercia parte, qui adhuc duos fratres habuit, videlicet Engelbertum, seniorem, et Theodricum, iuniorem, natos de Adulpho, comite de Merka, et Margaretha, seniori filia quondam Theodrici, comitis Clivensis, germani et antecessoris comitis Iohannis. Post cuius obitum, prefatus Iohannes [Theodricus], dominus de Horne, qui ipsius Iohannis comitis continuus consiliarius et familiaris domesticus extiterat, cepit in manus suas castrum Clivense, requirens ulterius ab opido Clivensi pro comite admitti sibique fidelitatem presentari. Opidum autem renuebat. Sicque castrum et opidum fecerunt sibi contraria. Dominus vero de Arkel,

Otto, cum magna comitiva armatorum, cui Eduardus, dux Gelrie, personaliter affuisse asseritur, locavit se in campo inferiori prope Clivis, petens et requirens ab opido Clivensi pro herede intromitti et acceptari. Cuius quidem requisicioni opidum eciam non paruit. Tandem supervenit Adulphus de Marka, // cum comitiva sua, ad P. 165.
superiorem campum prope Clivis, similiter petens, ut supra: qui ab opido cum suis fuit intromissus et pro domino hereditario receptus. Quo facto, alie due partes, in castro et in campo inferiori residentes, recesserunt, moventes Adulpho guerram, in qua Eduardus, dux, in favorem Ottonis, domini de Arkel, se eciam dicto Adulpho, comiti, opposuit. Idem Adulphus comes, recepta ulterius fidelitate ab aliis et opidis terre Clivensis, assignatisque Engelberto medietate theolonii in Buderik cum castro et districtu de Lymersche, et Theodrico, fratri suo, terra de Dinxlaken, iuxta composicionem inter eos factam, dictis partibus animose resistebat, cum adiutorio dicti Engelberti, fratris sui, qui, propter certos defectus suos, Eduardum prefatum eciam diffidaverat et certum numerum armatorum contra eundem in opido Buderik locaverat.

Hec de prefatis tribus, super comitatu Clivensi contendentibus, ex cronicis Clivensibus sunt conscripta.

Istis in diebus, Eduardus, dux, Wenzelao, Brabancie duci, in favorem sororii sui Wilhelmi, ducis Iuliacensis, publicas intulit inimicicias. Unde ipse Eduardus, congregato Wenzelao in Buscoducis magno cum exercitu, volente devastare Gelriam, maxime Bomelrewerd, mandavit ut audacter cum omni sua potestate terram illam intraret, ipse sibi omnia impedimenta, que eum in hoc impedire possent, velocius expediret, deditque insuper sibi inducias tribus diebus Mosam transfretandi. Quibus auditis dux Brabancie, animositate Eduardi territus, // retrocessit. P. 166.

Postremo sub anno Domini MCCCLXXI, in octava Assumpcionis Marie, 1) sive in festo sanctorum Thimothei et Symphoriani, commissum est prelium maximum in finibus ducatus Iuliacensis, iuxta villam, que Barswilre ab incolis nuncupatur, inter ducem Brabancie et Lutzenburgensem, Wenzelaum, fratrem Karoli quarti, impera-

1) Significatur dies XXII m. Augusti.

toris, et Wilhelmum, ducem Iuliacensem ex adverso. In quo quidem bello dux Brabancie, Wenzelaus, cum toto fere suo exercitu capitur, utpote cum duobus milibus viris militaribus ibidem ceciderunt plus quam septingenti viri etc.

De predicto bello lacius et ad longum in cronicis Brabancie dicitur. In quo quidem bello Eduardus, dux Gelrie, sagittali ictu in frontem denudatam letaliter percussit. [sic] De cuius vulnere idem dux, in XXXVI etatis sue anno, tercia die, videlicet in festo Bartholomei apostoli 1), tempore Karoli quarti, cum iam decem annis pro germano suo, duce Reynaldo, per eum interim detento, patrie Gelrensi et Zutphaniensi in non modica laude et honore prefuisset, Altissimo commendando spiritum viam universe carnis est ingressus: et in monasterio Vallis Comitis apud predecessores, omnium suorum luctu, extitit tumulatus.

Item Karolus quartus, imperator, Wilhelmum et Reynaldum, ipsius ducis Iuliacensis filios, adhuc in annis puerilibus constitutos, ut proximiores masculini generis, de ducatu Gelrie et comitatu
P. 167. // Zutphanie, ad ipsum per obitum Eduardi et Reynaldi, ducum prefatorum, tunc absque liberiis decedencium, devolutis, infeodavit et providit de eisdem.

Rursum Eduardo, duce Gelrie, itaque de medio sublato, frater eius Reynaldus, dux, grossus sive pinguis nuncupatus, ab ipsius Eduardi captivitate, in qua, ut prefertur, decem continuis annis detentus fuerat, absolvitur et ad tocius Gelrie principatum, iuxta eius vaticinium, in pace restituitur. Dixerat namque semper, adhuc sub fratris custodia constitutus, se non visurum mortem nisi prius ad ducatus Gelrie dominium pacifice cerneret restitutum. Sed teste philosopho, quia corpora pinguia diu vivere non possunt, ipse Reynaldus, dux, grossus, post eius restitucionem, ducatui Gelrie modico prefuit tempore. Nam eodem anno, nonas Decembris, sive quarta die Decembris 2), in festo Barbare virginis, tempore dicti Karoli

---

1) Dies Bartholomaei incidit in d. XXIV. m. Augusti.

2) Aut legendum est: *pridie nonas Decembris sive quarta die D.* aut: *nonis Decembris sive quinta die Decembris.* Sed illud magis probabile, quandoquidem festum Barbarae Virginis incidat in d. IV. m. Decembris.

quarti, in XXXIX etatis sue anno, absque liberiis debitum nature exsolvit et obdormivit in Domino, et in monasterio Vallis Comitis lugubris exequiis inhumatur.

Post tantorum preclarorum virorum, Eduardi et Reynaldi, ducum Gelrie, absque liberiis repentinum decessum, lamentabilis, Deo inimica, parcialitas Bronchorstensis et Hekerdensis, inter proceres, barones, militares, armigeros et civitates // Gelrie, renovata priori P. 168.
parcialitate, inter predictos terrarum principes olim exorta, multo horribilius ad septennium desolabiliter fuit continuata. Unde innumerabilia dampna et inaudita mala, ut inferius audietur, patrie Gelriae devenerunt. Nam ea pars, que Bronchorst dicebatur, Wilhelmum, filium Wilhelmi, primarii ducis Iuliacencis, et Marie, sororis iunioris predictorum ducum Gelrie, septem circiter annorum, proximiorem heredem masculini sexus, in dominum assumpserunt, et ipsius genitorem, Wilhelmum, ducem, in tutorem et defensorem tocius patrie constituerunt, fidelitatis sibi prestando iuramenta. Alia vero pars, que Hekers nominabatur, Mechtildem, quondam Iohannis, comitis Clivensis relictam, ipsorum quidem ducum Gelrie sororem seniorem, dicti Wilhelmi iunioris materteram, in dominam acceperunt. Cuius quidem partem principaliter tenentes Arnoldus de Hoern, episcopus Traiectensis, et Reynerus, dominus de Brederode et Genepe, anno Domini MCCCLXXII nupserunt eam Iohanni de Castellione, comiti Blesensi, in senio constituto; cui, hereditaria porcione, tercia pars comitatus Hollandie, scilicet Schoonhoven, Ther Gowe, Oldewater, Woirden, Goylant, cesserat in dominium. Hic scripserat se ducem Gelrie ac Blesensem et Zutphaniensem comitem: cui auxiliabatur Wilhelmus, Montensis, ac Engelbertus, Markensis, Adul//phus, Clivensis, comites, Theodricus, dominus de P. 169.
Dinxlaken, eorum germanus, Walterus de Voerst, illi de Groensvoert, et illi de Arnhem, cum civitate Arnhemensi et multi alii potentes, nobiles et militares, prestiterunt ei fidelitatis homagium. He igitur parcialitates, suis maleficis guerris, discordiis et bellis civilibus universum Gelrie principatum, die noctuque, nulla pace aut requie intermedia, lamentabiles, depopularunt, depredarunt, desolarunt et devastarunt. Sicque, Deo permittente, et peccatis

hominum exigentibus, tota Gelria, que, mediante duce Eduardo, denis annis probiter fuerat recta et protecta, per ipsius obitum atrociter flagellatur et plagatur: quod quidam versificator, dolenter recitando, plura composuit.

Interea parciales Hekerdenses, mala eorum, que conceperant, persequendo, cum domino eorum, Iohanne, comite Blesensi, Arnhem, Vagheningen, Cannenborch, Aller et Lobeeck obtinuerunt. Sed Wilhelmus, dux Iuliacensis, cum suis, eodem anno LXXII, Arnhem reaccepit. Demum post festum Iacobi apostoli, Goswinus de Vaudert, ad usus comitis Iohannis Lossensis, cepit Tyelam: ubi convenientes Mechtildis, domina Blesensis, et Arnoldus, episcopus Traiectensis, cum suis, in magna ioconditate dies suos deduxerunt. Quod Wilhelmus, dux, anxie ferens, nocturno tempore latenter superveniens, Tyelam reobtinuit multosque inibi captivavit, ut puta Lononem de Hoern, fratrem episcopi, Ghisbertum de Herdenvoet, Fredricum de Zulen, Ernestum
P. 170. de Gronenwoude, milites, et quamplurimos alios no//biles. Episcopus vero, fuge remedio, in theolonio Tyelensi recipitur. Cuius anxietatem Traiectenses percipientes, Tyele advenientes, episcopum eorum liberarunt. Wilhelmus autem dux, relicta civitate captivisque secum acceptis, Novimagium remeavit. Depost eodem anno episcopus cum domino de Brederode ceperunt Venlo et Harderwijck. Ex adverso Wilhelmus, dux, armipotenter intrans terras ecclesie Traiectensis, cremavit et spoliavit Ameronghen, Dorn, Zeist et Bilt, salvus cum suis revertendo.

Exinde anno LXXIIII, Reynaldus, dominus de Brederode, Tyelam reaccepit.

Magnum demum bellum intestinum anno LXXVIII, die sancte Pasche 1), Tyele inter parciales fuit commissum, ubi Gerardus de Arkel, Brino de Honswiic et plures alii occisi sunt. Inde venit in proverbium: Quade Paesdagh.

Hiis eciam durantibus bellis, Hermannus de Eyl, Lucas de Empel, Theodricus de Mulmittem, et Rutgherus de Borslager, milites, ex parte Adulphi, comitis Clivensis, qui partem comitis Blesensis foverat, assosiatis sibi pluribus de Clivensibus, Markensibus et West-

---

1) Pascha huius anni (1378) incidit in d. XVIII. m. Aprilis.

phalis, iniquitatis satellitibus, Novimagenses, indesinenter partem Wilhelmi, ducis, tenentes, in cuiusdam diei auro[ra] bestiis suis e pascuis et mericis spoliantes, usque vallem, Statsdael dictam, latitabant, eduxerunt. Novimagenses vero catervatim et inconsulte eos insequentes, ad numerum trecentorum et quinquaginta, successive, prout venerunt, ceperunt, pluribus ex eis occisis. Predam quippe cum Novimagensibus abducentes, in castris Hoenreberch // P. 171.
et Eyl carceribus emanciparunt et ad placitum exaccionarunt. Dictus tamen Hermannus de Eyl, miles, ipsius exercitus archiductor et principalis, Wilhelmo, duci Gelrie, postmodum reconciliatus, ad ipsius curiam fuerat receptus.

Insuper anno LXXIX, postquam huiuscemodi magnarum discordiarum guerre per totum Gelrie principatum ad septem duraverant annos, et tempus miserendi eius instaret, Wilhelmus dux Iuliacensis, qui hactenus tutoris nomine regnaverat, nobilem tyronem, filium suum, eque Wilhelmum, quatuordecim tantum annorum, de terris Iuliacensibus vocatum, bellicis actibus adoptatum ducalibusque armis decoratum, partibus Gelrie, in suorum solacium principaliter prefecit in ducem et rectorem. Ipsi igitur preclari Wilhelmi, Iuliaci et Gelrie duces, prima expedicione, quam insimul in hostes commoverant, castrum et opidum Genepe, contra Reynerum, dominum de Brederode, valido cum exercitu, undique cinxerunt gravi sub obsidione. Qua ad tempus continuata, Walterus dominus de Voerst, protunc ex adverso principalis, ex Westphalia, Markensi, Clivensi et terris aliis multorum armatorum contracta multitudine copiosa, dictos duces ab ipsa obsidione, armata manu, procul pellere disponebat, Renoque transfretato, in villa Honypel et eius convicinio, sua locabat castra. Quod cum dictos duces minime lateret, ipsi subito cum eorum exercitu, soluta obsidione noctis media, in aurora Honypel apropinquantes, dispositis castris cum clangoribus, clamo//ribus armorumque strepitibus, in ipsorum ad- P. 172.
versariorum inopinate irruentes et cum eis acerrime confligentes, illam corruerunt multitudinem, eos, velut oves disgregatas, cum Waltero, domino de Worst, eorum capitanio, capientes, plures ex ipsis occiderunt. In eodem eciam bello, Wilhelmus iunior, Gelrie dux, manibus patris sui, ducis Wilhelmi, in militem creatur. Hac

igitur solempni ipsis prepotentibus terrarum principalibus cedente victoria, perniciosa et lamentabilis parcium Gelrie deinceps cessare cepit parcialitas, que atrociter deseviendo septennio ingruerat. Sicque, Deo annuente, pax et iusticia sub hoc refloruerunt principe.

Demum dux Gelrie Wilhelmus, patris consilio et assistencia, Tyelam omnesque civitates, castra et presidia inimicorum obtinens, iuxta Philippum, pestiferam principancium multitudinem opprimendo, in dominum ac principem terrarum Gelrie unicum ab omnibus tandem est receptus, fidelitatis, inquam, iuramenta prestiterunt. Ipse vero Wilhelmus, dux, postquam terrarum suarum possessionem pacifice assecutus fuerat, nullam partem de dictis parcialibus specialiter eligebat, fovebat, exaltabat, nec deprimebat, sed equanimiter honorabat et diligebat, ipsis se principem iustum, pium et mansuetum in omnibus preferendo.

Domina nempe Blesensis, Mechtildis, ducis Wilhelmi matertera,
P. 173. ab universis, partem eius tenentibus, propter guerrarum // diuturnitatem fatigatis, relicta, receptis annuatim ab ipso duce, suo nepote, certorum reddituum usufructibus, sibi deputatis, a guerris quievit, et in doario sive dote sua de Huyssen, a Iohanne, comite Clivensi, assignato, vitam finiens anno Domini LXXX.

Post memorate vero domine Mechtildis Blessensis obitum, inter Fredricum, archiepiscopum Coloniensem, et Adulphum, comitem Clivensem, gravis inoritur dissencio, eo, quod ipse archiepiscopus castrum et dominium de Lyn, domine Blesensis, a Iohanne, comite Clivensi, dudum viro suo, in dotem assignata, a Bernardo de Strunkede, milite, qui illa pro pecuniarum summa, quam pro domina Blesensi tempore predictarum guerrarum exposuerat, in vadimonium receperat, temere usurpasset. Nam mortua domina Blesensi, Adulphus, comes, castrum et dominium de Lyn ad se vero iure hereditario libere rediturum affirmabat, quapropter ipsi Bernardo, milite, dictam pecuniam restituere noluit. De quibus archiepiscopus eundem votive contentans, castrum et opidum predictum de ipsius militis recepit manibus, propriis usibus applicando. Dissenciunt vero inter se Fredricus et Adulphus, nondum tamen sibi mutuo diffidaverunt. Interim cum Adulphus de nocte in parva navicula cum paucis Renum descenderet ad quandam suam ama-

siam, canonissam in Elten, ut fertur, prope Reys, tunc opidum Coloniense, a piscatoribus capitur et opido inducitur. Tota terra Clivensis ad obsidionem opidi con//volat. Tandem tractatur, quod ecclesia P. 174. Coloniensis castrum cum dominio Lyn haberet perpetuo possidendum; et opidum Reys cum castro Aspel comiti Clivensi impignoratur.

Postremo antedictis durantibus parcium Gelrie parcialitatibus, videlicet anno LXXIIII, inauditum factum est exortum in Almania et in Francia: quod multi homines, tam virorum quam mulierum, tanquam insensati et infirmitate aggravati, nullam requiem habentes, de pede in pedem saltantes, manus ad latera tenentes, sic duo et duo chorizantes, vel unus solus; et omnes illius infirmitatis se invicem amantes, viri et mulieres de diversis partibus . . . . 1) qui se nunquam viderunt et cognoverunt, se amplexantes, sorores et fratres se invicem vocantes.

De predictis Chorizatoribus habetur in cronicis Brabancie 2) et in Nygro libro et Leodiensi.

Wilhelmus, dux Gelrie comesque Zutphanie, Wilhelmi, primarii ducis Iuliacensis, primogenitus, princeps animosus, famosus, bellicosus, largus, strennuus, facundus, corpore fortis, persona pulcher, robore audax atque per omnia gloriosus, et in iudiciis adeo rigidus, [ut] nullius partes neque personam respiceret alicuius, caute considerans, quod qui parcit malis, nocet bonis, et quod facilitas venie incentivum tribuit delinquendi 3), anno Domini MCCCLXXIX, tempore Karoli quarti, imperatoris, prenominatis Reynaldo et Eduardo, ducibus Gelrie, suis ex //parte matris avonculis, P. 175. absque liberiis brevi temporis spacio simul decedentibus, post septennium, plurimis intestinis guerris et civilibus bellis previis, in florenti iuvenili etate quatuordecim annorum, maxime predicti genitoris sui, ducis Wilhelmi, manuali assistencia, ad ipsorum ducatus et comitatus gubernacula, omni parcialitate subacta, ab universis

1) Post *partibus* in codice scripta est vox quaedam, quam legere non possum. Ductus literarum fere conveniunt cum eo quod praecessit *diversis*. — Ceterum in hac narratione desideratur verbum finitum.

2) Additum fuerat *Hollandie*, *Flandrie;* quae nomina deinde deleta sunt.

3) Eandem laudem supra (p. 46) tribuit Fredrico, usus verbis plane iisdem.

concorditer fuit sublimatus. Huic, interveniente apostolica dispensacione, erat conthoralis Katherina, Alberti, comitis Hollandie, filia, dudum dicto Eduardo avonculo suo nupta; minime ab eodem tamen cognita: que anno MCCCC, in vigilia Martini 1) defuncta, nullas genuit proles.

Processu vero temporis Wilhelmus, dux, zelo devocionis accensus, pro defensione fidei catholice contra crucis Christi inimicos pugnaturus, Prusiam armipotenter visitavit. Cumque illis in diebus, cum Prusenis et dominis ordinis Theutonicorum aliisque Christianis de infidelibus multifarie triumpharet, ac nomen Dei sui longe lateque magnificaret, interim Wenzelaus, Lutzenburgensis et Brabancie etc. dux, nature humane exsolvit debitum, et Iohanna, ipsius domina, Iohannis, quondam ducis Brabancie filia, Brabancinis interregimine preëssebat. Unde quidam temerarii viri illarum terrarum
P. 176. Gelrensium in ipsorum ducis absenciam levipendentes, // transfretato flumine Mose, in quodam allodio de Vormeren, parochie de Wychen, imperii Novimagensis, domum quandam incenderunt et ipsius quoque hospitem, captum secumque trans flumen ductum, arbore suspenderunt. Quod cum duci Wilhelmo in Prusia celerius notificaretur, dixit: Non solummodo domum, sed omnes capitis sui crines per dictos terrarum suarum invasores fore combustas ipsumque eciam hospitem, innocenter occisum, sibi, sicut ceteros parcium suarum prepotentes, ab Altissimo defendendum commissum vovit vindicare, nisi per rectores et civitates Brabancie de dictis iniuriatoribus condigne foret satisfactum. Quibus hoc renuentibus, Wilhelmus, dux, premissis de causis dimissa Prusia, velut alter David contra Goliam pugnaturus, in Domino confisus, duxisse Iohanne eiusque terris diffidatis, graves tetendit inimicicias, terras ipsas atrociter devastando, depredando et concremando.

Hoc, quod iam sequitur, habetur in cronicis Brabancie sub Iohanna duxissa.

Insuper eodem anno LXXXVIII dux Wilhelmus, cum nobili suorum exercitu, catholice fidei inimicos, pro nomine Dei sui magnificando, prout dudum fecerat, denuo aggressurus, Prusiam accessit: ubi

---

1) Vigilia Martini est d. x. m. Novembris.

cum marcgravio et fratribus milicie ordinis Theutonice, debellatis et expugnatis infidelibus ac pluribus ipsorum castris et municionibus evictis, in rever//sione, a quodam Egberto de Silva et suis P. 177.
complicibus in comitatu de Pomerania, ipsius comitatus vasallis, secum insidiose confligentibus, fuit captus et in civitate et castro suo Valkenborch, per medium fere annum detentus : interfectis tamen in ipso conflictu, de ipsius ducis parte, Theodrico de Eylar, Petro de Bylant, militibus, et pluribus aliis. Sed tandem Egbertus dimittere et absolvere ducem Wilhelmum cum suis, absque ulla exaccione, per marcgravium Prusie, magno cum exercitu illuc advenientem et dictum castrum Valkenborch violenter obtinentem, fuit coactus. Quum tamen dux nullatenus de ipsius Egberti manibus ad plenum liber censeri voluit, nisi idem, qui eum ceperat, propria in persona absolveret; sicque Egbertus trans flumen, ibidem decurrens, ex summitate cuiusdam arboris, propter metum Prusenorum assenso, ipsum ducem cum suis proprio ore quitavit et absolvit. Ipse tunc dux ab huiusmodi captivitate liberatus, regnum Bohemie adivit, Wenzelaum, Romanorum et Bohemie regem, visitaturus. Ubi fere ad trium mensium spacium a rege solempniter tractatus et muneribus honoratus fuisset, tandem ad propria in magna laude est reversus.

Sub ipso quidem Wilhelmo, duce, anno MCCCLXXXIX Wilhelmus, comes Montensis, ex Gerardo, comite, ducis Wilhelmi avonculo, genitus, a Wenzelao, Romanorum // rege, ad ducatus honorem P. 178.
fuit exaltatus. Decessit, inquam, ex humanis Wilhelmus, dux Iuliacencis, ipsius Wilhelmi, Gelrie ducis, genitor pretactique Gerrardi comitis germanus, anno XCIII, in festo sancte Lucie virginis 1). Per cuius obitum Iuliacensis ducatus ad ipsum Wilhelmum, Gelrie ducem, hereditaria successione, pleno iure devolvebatur; et sic amborum ducatuum princeps efficitur: retento tamen, de ipsius consensu, genetrici sue Marie et Reynaldo, germano suo unico, usufructu in ducatu Iuliacensi antedicto.

Interea Wilhelmus, anno XCV, Fredricum, Coloniensem archiepiscopum, qui non zelo amicicie, invicem ab antiquo contracte,

---

1) Festum Sanctae Luciae Virginis celebratur d. XIII. m. Decembris.

sed solummodo avaricie fomite, eum cum Karolo, Francorum rege, intervenientibus ipsius pecuniis, dudum, ut prefertur, composuerat, sicque regem ob commodum proprium abire practitaverat, affidavit et auxilio Wilhelmi, comitis Ostervandie, fratris uxoris sue, cum exercitu ducentorum lanceatorum virorum equestrium et sex milium pedestrium. Cui eciam prepotentes domini Wilhelmus de Leck et Iohannes de Diest, cum ducatus Brabancie pocioribus, cum trecentis equestribus similiter lanceatis, venerant in subsidium, contra dictum archiepiscopum usque in Stralen processit, diocesim Coloniensem debellaturus. Divina tamen favente clementia, modo subsequenti ad pacis redierunt unitatem: Ut scilicet ipse archi-
P. 179. episcopus et sui in ecclesia Coloniensi // successores Wilhelmo, duci, tam racione premissorum, quam eciam aliorum iurium, sibi et suis predecessoribus ab ecclesia Coloniensi antiquitus debitorum et hactenus detentorum, sexaginta milia florenorum Renensium semel duntaxat, ac insuper perpetuis futuris temporibus eidem duci suisque successoribus in ducatu Gelrie, ubi ipsis magis commode suis videretur expedire, octoginta plaustra vini, propriis quidem sumptibus et expensis, libere et expedite, annuatim assignare deberet. Que omnia predicta ipsis Wilhelmo et Reynaldo, Gelrie ducibus, ad tempora vite eorum, inviolabiliter fuerunt observata. Licet eciam dicti duo principes contendere inceperunt, in nullis tamen terrarum cronicis invenitur, ecclesie Coloniensis et Gelrie principes contra se invicem guerrasse, sed semper, quasi ex innata amicicia, sibi mutuo astitisse et de una parte fuisse.

Sane anno XCIII, circa festum Pasche, defuncto Florentio de Wevelinchoven, episcopo Traiectensi, Wilhelmus, dux Gelrie, et Albertus, comes Hollandie, super novo pontifice, ad cuiuslibet eorum promocionem eligendo, Traiectum intraverunt. Wilhelmus vero pro Fredrico de Blanckenem, episcopo Argentinensi, ecclesie Basiliensis commendatoris: Albertus quidem pro Rogero de Bronchorst,
P. 180. magnarum parcium instanciis, // capitulo Traiectensi in differencia supplicarunt. Unde in capitulo orta est discordia: nam Maior capituli, ad promocionem Wilhelmi, Fredricum, Minor vero, ad peticionem Alberti, Rogerum in episcopum postulavit. Fredricus tamen, obtenta confirmacione a papa Bonefacio, quinquagesimus

primus ecclesie Traiectensis cathedratus est episcopus; quem ipse dux, ad se descensum, cum magna comitiva, Traiectum solempniter introduxit.

Hiis, inquam, temporibus, circa annum XCV, comes sancti Pauli, maximo de Gallicis contracto exercitu, ducatum Lutzenburgensem pompose intrans, ipsum devastare et obtinere disponebat, et omnibus Almanie principibus, illuc adventuris et eum ab inde recedere prohibituris, publicum indifferenter capessere prebuit bellum. Quod cum Wilhelmo, Gelrie duci, per Theodricum, comitem de Katzenellenboghe, illius ducatus tutorem et defensorem, significatum fuerat, illico gravi cum exercitu, ex Gelrensi, Iuliacensi, Brabancinis aliisque partibus congregato, in quo erat nepos suus Adulphus, comes Clivensis, quem aliis nunquam ducebat, contra dictum presumptuosum comitem de Simpol animose processit, prelium initurus. Sed cum ipse comes, Wilhelmi ducis presencia animo consternatus, turribus et fossatis undique ad littus fluminis Moselle circumvallatus, pompardis, aliis instrumentis // bellicis, ad confuse receden- P. 181.
dum aut bellum secum committendum, in die Cene Domini, atrociter urgeretur, per suum heraldum duci significavit non congruere honori tanti principis, eos tam misere et severe per huiusmodi instrumenta mortis tradere imperio: ipsumque igitur ab inceptis desistere amonuit, cum altera die Parasceves 1), in ortu solis, secum bellum campestre committere vellet. Quod cum duci et suis peroptime placuisset seque ad bellandum preparasset, ac comitem Adulphum Clivensem et certos alios ex eis milites creasset, comes de Simpol doporem [sic] exterorum horride insonantibus et clangentibus, dimissis inibi curribus, armis necessariis et aliis rebus suis bellicis, intempeste noctis, hospite insalutato, fuge presidio, vadum Moselle transnatantibus, pluribus tamen ex eis submersis, confusive recessit. Quo comperto, comes de Katzenelleboghe, cui dux prescienciam et causam recessus Gallicorum exercitus, ad penam mortis, imposuerat, se septimo ab huiusmodi impositis, ad terram coram duce prosternatus, realiter purgavit. Sicque ipsi principes, suo frustrati proposito, ac non modico ibidem in equis ac suo exercitu et rebus aliis, ob terrarum illarum penuriam et defectum, perpesso dampno, ad propria redierunt.

1) Pascha huius anni (1395) incidit in d. XI. m. Aprilis.

Porro huiusmodi fere temporibus, Reynaldus, dominus de Schoon-
P. 182. vorst et Meyngouwen, duci Wilhelmo inimicato // plures tetendit inimicicias, terram Iuliacensem invadendo et depredando fratremque ducis Reynaldum et dominum de Rifferscheid, cum certis aliis apprehendendo: qui tandem, per ipsum exaccionati, libertati sunt restituti. Quapropter, anno Domini XCVI, dux Wilhelmus, in gravi ira, ipsum castrum Schoonvorst, de prope Aquis collocatum, de mense Septembris, armipotenter circumvallavit et ipsum, per septem fere septimanas, terribilibus machinis fundibulariis ac pompardis maximis, ad spacium quindecim miliarium tonantibus, terribiliter expugnavit. Quod tamen, magnifice reëdificatum, suis usibus applicuit. Inde procedens castrum Wilmesteyn, per quindecim dierum spacium circumvallatum, similiter obtinuit.

Successu insuper temporis suborta fuit guerra inter Wilhelmum, ducem Montensem ex una, et Adulphum, Clivensem, fratremque eius Theodricum, Markensem, comites, ipsius Wilhelmi, ducis, ex sorore Margareta, comitissa Clivensi, nepotes, partibus ex altera: pretextu certe summe pecuniarie XXIIIIC florenorum Renensium, perpetuorum reddituum, olim ex theolonio Weerde, cum Riicharda de Iuliaco quondam Engelberto, comiti Markensi eorum parte, parte patris Adulphi, avonculo in dotem assignatorum; quos redditus a Philippo, domino de Walkensteen, et Margareta, filia
P. 183. Engelberti, et Riicharde, // coniugum predictorum, tamquam veris ipsorum heredibus, dictus Theodricus, comes Markensis, huius guerre principalis, remisse protinus iure conservando; Adulphus ipse fratri suo prestitit iuvamen. Unde Wilhelmus, dux predictus, cum certis aliarum terrarum dominis, complicibus suis, magnum colligens exercitum, anno Domini MCCCXCVII, septima die mensis Iunii, sive Petronelle virginis, comitatum Clivensem intravit, dampna et incendia faciens. Ipsisque ad extremitatem terre Clivensis, videlicet ex opposito castri Lobeke pervenientibus, Adulphus, cum fratre suo Theodrico ac Fredrico, comite de Moersa, primario sororio suo, aliisque subditis et amicis suis, quos congregare poterat, exierunt Clivis, animo bellandi, in campum prope Kellen; ubi cum exercitu ex adverso applicantes, hora meridiei, commissum fuit bellum: in quo dicti Adulphus, Theodricus et Fredricus, comites,

cum suis prevaluerunt, et exercitum predictum devicerunt. Pluribus tamen ex utraque parte interfectis, captivantes quinque principales terrarum dominos, videlicet: Wilhelmum, ducem Montensem, Reynaldum, tunc secundogenitum, postea Gelrie et Iuliaci ducem, Iohannem, dominum de Heynsberch, comitem de Seyne, dominum Iohannem, iuniorem comitem de Salmen: ac, cum eisdem principibus, dominum de Rifferscheid aliosque tam multos milites, militares et eorum complices, quod illorum numerus nimis fuit copiosus; a quibus, pro eorum redempcione, copiam bonorum receperunt // fere P. 184.
infinitam, partim in castris et dominiis, partim in promptis pecuniis: a duce quidem Montensi Zinzich et Remaghen; a domino vero Reynaldo, postquam ad ducatum Gelrie et Iuliaci, per obitum Wilhelmi, fratris sui, successerat, hereditatem opidi Embricensis, cum insulis adiacentibus; a Iohanne, domino iuniore, comite de Salmen, hereditatem castri et dominii de Ravenstein, Herpen et Ueden; item adhuc a duce Montensi summam XXIIIIc florenorum aureorum ex theolonio Weerde, pretextu cuius ista guerra fuerat suborta, perpetuo possidendam: ac quod omnes subditi terrarum Clivensis et Markensis, eorumque bona apud omnia theolonia ducis Montensis, tam in terris quam in aquis, absque theolonii dacione, transire debent libera perpetuis temporibus et secura. Que duo posteriora puncta per Wenzelaum, tunc Romanorum regem, perpetuo sunt confirmata. Universi, inquam, in dicto bello captivati fuerant, ipsis Adulpho et Theodrico, comitibus, eorumque terris et subditis fecerunt quedam sub pena iterum intrandi captivitatem, si ullo unquam contravenirent. De ipso nempe bello hec habentur metra. 1)

Post dictum vero commissum bellum, videlicet anno Domini MCCCXCIX, Theodricus, comes Markensis cum suis terram Montensem invasit et in tantum processit, quod Mullenheym, prope Coloniam, caperet. Qui vero dein castrum Evervelde, quod in confinibus terre Montensis situm est, obsidens, in caput sagitta // balistea P. 185.
letaliter percutitur. Sicque miserabiliter iuvenis animosus et sagax

1) Non inveniuntur in codice ista metra, quibus ne locus quidem relictus est vacuus. Nec memini me ista legere ab aliis memorata.

princeps sine uxore et liberiis moritur. Et exinde comitatus Markensis ad fratrem suum Adulphum, comitem Clivensem, devolvitur; qui anno Domini MCCCCXVI, ipso die Vitalis, in generali concilio Constanciensi, a Sigismundo, Romanorum rege, in primarium ducem Clivensem fuerat solempniter sublimatus. Sequenti vero die, in eodem concilio, Amedeus, comes Sabaudie, per eundem Romanorum regem, ad ducatus fastigium, honore congruo, extat exaltatus.

Demum anno XCVII antedicto consules et scabini Bomelenses, zelo invidie accensi Deique timore postposito, quendam eorum conscabinum innocenter iudicantes, extra civitatem ductum, aquis bulientibus publice extinxerunt, asserendo ipsum falsum dedisse iudicium; cuius tamen oppositum postmodum verum compertum fuerat. Unde tres scabini, qui huius innocenter interempti sanguinis rei extiterant, similem mortis sentenciam, quam iniuste dictaverant super eos, vero Dei iudicio profuturam timentes, cum rebus et bonis suis latenter recesserunt, et in Buscoducis se mansuros recipientes, in maiorem eorum libertatem cives inibi sunt effecti. Depost vero contigit, plures Bomelenses aliosque Gelrenses, in vigilia Nativitatis Iohannis anni predicti ad nundinas annuales, propter eorum questum exercendum, Buscumducis visitare ac quosdam ex eis a circum plateam, quam dicti scabini habitabant, pro negociis suis expediendis, pertransire. Quod videntes dicti scabini, malum de eisdem suspicarunt et civitatem verbis eorum querulosis concitaverunt, asserentes Gelrenses predictos ad ipsos interficiendum illuc
P. 186. advenisse. Sicque eis, licet ipsorum cives // etc. que habemus in cronicis Brabancie.

Anno Domini MCCCC, circa Ieiunium, secta Flagellatorum denuo surrexit. Nam volgaris populus excommunicacionem, dudum per Clementem papam sextum in Flagellatores promulgatam, non metuens, iterum cum crucibus et vexillis cantantes et se flagellantes, regiones terruit, clero plurima obprobria intulit. Sed per excommunicacionem diocesanorum et coartacionem terrarum principum ad nichilum est redactus et sic cessavit.

Eodem anno, circa festum Iacobi apostoli, pestilencia maxima ubique viguit terrarum.

Porro gloriosus dux Wilhelmus, potione fore infectum cernens,

pius dux, vite terminum sibi de vero imminere, venerabili corporis et sanguinis Christi sacramento voluit confortari. Tandem morbo, quo laborabat, graviter invalescente, idem dux Wilhelmus, anno Domini MCCCCII, ipso die Iuliane virginis, 1) in curia sua Arnhemensi, postquam XXIIII annis pacifice et per VII in discordiis, mediante genitore suo, gubernasset, in XXXVIII, proch dolor, etatis sue anno, tempore Roperti, Romanorum regis, viam universe carnis, absque liberiis, est ingressus.

Reynaldus, dux Gelrie quintus, Iulieque tercius, et comes Zutphanie, Wilhelmi ducis germanus, floruit temporibus Roperti et Sigismundi, Romanorum regum. Incepit gubernare anno Domini MCCCII. Mariam, filiam comitis de Arcuria sive Arkort, Francorum regum sanguine exortam, post ipsius obitum nepoti suo Roperto, filio unico Adulphi, comitis Montensis unigenito nuptam, sorciebatur in uxorem hic Reynaldus, dux: obiitque // improvise P. 187.
absque liberiis anno Domini MCCCCXXIII, in crastino Nativitatis Iohannis baptiste; 2) in monasterio apud Monichusen, apud dictum germanum, ducem Wilhelmum, inhumatus. Cuius conthoralis Maria in Nydeghem, ducatus Iulie, requiescit.

Arnoldus, dux Gelrie sextus, Iulieque quartus, et comes Zutphanie, de Iohanne, domino de Egmonda, et Maria, filia Iohannis, domini de Erkel, eiusque coniugis Marie, dictorum quidem Wilhelmi et Reynaldi ducum germane, genitus, floruit cum sodali sua, Katherina, Adulphi, primarii ducis Clivensis comitisque Markensis filia, temporibus Sigismundi, Alberti et Fredrici, Romanorum regum. Hic Arnoldus genuit ex Katherina, nepta Philippi, ducis Burgundie: Adulphum, dominum Gelrie iuniorem; Mariam, reginam Iacobi, regis Scotorum; Margaretham, conthoralem Fredrici, ducis Bavarie; et Katherinam, virginem. Qui tandem Arnoldus dux Gelrie, cum uxore, anno Domini MCCCCLXV, de mense Ianuarii, omnium principatuum suorum oneri et honori cedentes, Adulpho, unico eorum filio, ipsos regendos commiserunt.

---

1) Dies Iulianae virginis est d. XXII. m. Maii.

2) Significatur dies XXV. m. Iunii.

Adulphus, dux Gelrie septimus, Iulieque quintus, et comes Zutphanie, Arnoldi ducis filius, floruit sub Fredrico III, Romanorum imperatore moderno, habens in conthoralem legitimam Katherinam, Karoli, ducis Borbonie, regni Francie, filiam, ac Iohannis, ducis moderni, germanam.

APPENDIX.

A. Cronica brevis illustrium ac magnificorum principum domus Gelrie per dom. Wilhelmum de Berchen, canonicum almifici protomartiris Stephani Novimagensis, composita.

GElrie famosus principatus a. Incarnacionis Dominice 878, temporibus Karoli Calvi sive secundi, Romanorum imperatoris, Stephano IV Rom. pontifice presidente, ab inclitis Wichardo et Lupoldo, generosi domini de Pont filiis, locum sive regionem Gelre a quodam pestifero animali in ipsorum paludibus latitante, Gelre, Gelre, horrisone vociferante, homines et bestias devastante, Dei auxilio, eorum subditos et eorundem vicinos liberantibus, iuxta eiusdem animalis vocabulum sumpsit inicium. Horum igitur et aliorum magnaliorum consideracione, hi duo fratres Wichardus et Lupoldus, ab illius regionis incolis eorum domini et prefecti constituti, nobiles prefecti Gelrie deinceps sunt nuncupati. Qui tunc genitoris ipsorum consilio in eodem loco, quo dictum animal devictum fuerat, presidium construentes, Gelriam in memoriale sempiternum appellarunt; quorum successorum virtutibus, triumphis et victoriis mirificis, exigentes tandem in Gelria comites et duces meruerunt sublimari. Cui quidem Gelrie nobili principatui antiquus comitatus Zutphaniensis hoc accessit modo. Nam Otto, comes de Nassow, mediante prima sua coniuge Adelheide, Wichardi tercii prefecti, Gelrie octavi, filia unica, prefectus Gelrie factus nonus, a. D. 1079 ab Henrico quarto, Rom. imperatore, in primum Gelrie comitem exaltatur; qui ex ea genuit Gerardum primum, comitem Gelrie secundum, huius genitrix Adelheide, prima Gelrie comitissa a. D. 1086 defuncta, idem comes Otto Sophiam, Wychmanni, comitis Zutphaniensis, similiter filiam unicam, duxit in uxorem, ex qua genuit Gerlacum, post cuius immaturum obitum comitatus Zutphaniensis ad genitorem suum Ottonem devolvitur. Quos quidem Gelrie et Zutphaniensis comitatus taliter unitos idem comes Otto ad vite sue tempora tenuit, guber-

navit atque suis heredibus et successoribus possidendas reliquit. Interea a. D. 1339, Reinaldus secundus, comes Gelrie nonus et ultimus, a Ludowico IV, Rom. imp. Francfordie, in solempni principum curia, in primum ducem Gelrie gloriose sublimatur.

Prefecti Gelrie octo.

Wichardus, prefectus Gelrie primus, prefuit annis 32, temporibus Karoli secundi, Karoli tercii, Arnulphi et Ludovici tercii, Romanorum imperatorum. Obiitque a. D. 904.

Lupoldus, prefectus Gelrie secundus, prefuit cum Wichardo, germano suo; quo defuncto Wichardo, solus prefectus Gelrie et dominus de Pont constituitur.

Gerlacus, filius Wichardi, prefectus Gelrie tercius, prefuit annis 27, temporibus Ludowici tercii, Conradi primi, Rom. imp. Obiitque a. D. 931.

Godefridus, filius Gerlaci, prefectus Gelrie quartus, prefuit annis 21, temporibus Henrici primi et Ottonis primi, Rom. imp. Obiitque a. D. 951.

Wichardus secundus, filius Godfridi, prefectus Gelrie quintus, prefuit annis 15, temporibus Ottonis primi, Rom. imp. Obiitque a. D. 966.

Mengosus, Wichardi filius vel cognatus, prefectus Gelrie sextus, prefuit annis 38, temporibus Ottonis primi, Ottonis tercii et Henrici secundi, Rom. imp. Obiitque a. D. 1004. In solempni monasterio sanctimonialium ordinis sancti Benedicti Vilicensi, ex opposito Bunne, per eum et Gerbergem, coniugem eius, fundato, sancta Adelheide, eorum filia, inibi abbatissa existente, sepultus.

Wilringus, Mengosi cognatus, prefectus Gelrie septimus, prefuit annis 24, temporibus Henrici secundi et Conradi, Rom. imp. Obiitque a. D. 1028,

Wichardus tercius, filius Wilringi, prefectus Gelrie octavus, Wilhelmi, episcopi Traiectensis, germanus, prefuit annis 26, temporibus Conradi secundi, Henrici tercii et Henrici quarti, Rom. imp. Obiitque a. D. 1054. Cuius filiam unicam Otto, comes de Nassow, qui sibi successit, duxit in uxorem.

Comites Gelrie Octo.

Otto primus, comes Gelrie primus et Zutphanie, prefuit annis 53, temporibus Henrici quarti et Henrici quinti, Rom. imp. Obiitque a. D. 1107, in collegiata ecclesia Zutphaniensi, per eum, ut fertur, fundata, sepultus, cuius uxor prima erat Adelheidis, Wichardi octavi, prefecti Gelrie, filia unica, secunda vero Sophia, Wychmanni, comitis Zutphaniensis scilicet, filia unica.

Gerhardus primus, filius Ottonis, comes Gelrie secundus et Zutphaniensis, prefuit annis 24, temporibus Henrici quinti et Lotharii tercii, Rom. imp. Obiitque a. D. 1132, in collegiata ecclesia Wassenburgensi, tunc dicionis Gelrensis, per eum a. D. 1118, sub Oberto, episcopo Leodiensi, fundata, sepultus; cuius uxor erat Ermgardis, Florencii octavi, comitis Hollandie, et Petronille, sororis dicti Lotharii, cesaris ducisque Saxonie, filia.

Henricus, filius Gerhardi, comes Gelrie tercius et Zutphanie, prefuit annis 32, temporibus Lotharii tercii, Conradi tercii et Fredrici primi, Rom. imp. Obiitque a. D. 1162, in solempni monasterio Campensi, ordinis Cisterciensis, sepultus, cuius uxor erat Seynardis, Henrici, ducis Brabancie, filia.

Gerhardus secundus, filius Henrici, comes Gelrie quartus et Zutphanie, prefuit annis 10, temporibus Fredrici, Rom. imp. Obiitque, absque liberis, a. D. 1172, in ecclesia Zutphaniensi tumulatus, cuius uxor Margareta, comitis de Spanheim filia.

Otto secundus, germanus Gerardi, comes Gelrie quintus et Zutphaniensis, prefuit annis 20, temporibus Fredrici primi eiusque filii Henrici sexti, Novimagi geniti, ac Philippi et Ottonis quarti, Rom. imp. Obiitque a. D. 1202, in supradicto monasterio Campensi inhumatus; cuius uxor erat Richardis, comitis de Nassow, filia, in solempni monasterio sanctimonialium Ruermundensi, per eam et filium suum, comitem Gerardum, magnifice fundato, inhumata.

Gerhardus tercius, filius Ottonis, comes Gelrie sextus et Zutphaniensis, Ottonis, episcopi Traiectensis, germanus, prefuit annis 27, temporibus Ottonis quarti et Fredrici secundi, Rom. imp. Obiitque a. D. 1229 in die sancti Severini episcopi, in memorato monasterio Ruermundensi, per eum et dictam suam genitricem Richardem, pri-

mam inibi abbatissam, ut prefertur, fundato, tumulatus; cuius uxor erat Margareta, Henrici, ducis Brabancie, filia, apud ipsum inhumata.

Otto tercius, filius Gerardi, comes Gelrie septimus et Zutphaniensis, Henrici, episcopi Leodiensis, germani, prefuit annis 40, temporibus Fredrici secundi, Henrici septimi, filii sancte Elisabeth vidue, Wilhelmi, Richardi et Rodolphi Rom. regum et imp. Obiitque a. D. 1271, 10 die mensis Ianuarii, in ecclesia solempnis monasterii sanctae Marie Vallis Comitum, ordinis Cisterciensis, per eum et Margaretam de Clivis, primam eius coniugem, gloriose fundati, sepultus, apud quem ambe eius uxores, videlicet dicta Margareta Clivensis et Philippi sancti Pauli seu de Simpoll comitum filie, in pulvere requiescunt.

Reinaldus primus, filius Ottonis, comes Gelrie octavus et Zutphaniensis, conventus fratrum Minorum Ruermundensis de castro proprio fundator, prefuit annis 48, temporibus Rodolphi, Adolphi, Alberti primi, Henrici octavi et Ludowici quarti Rom. reg. et imp. Obiitque a. D. 1326, die sancti Dionisii, in ecclesia monasterii Vallis Comitum apud genitorem suum Ottonem tumulatus, apud quem ambe eius conthorales Ermgardis, Henrici, ducis Limborgie, et Margareta, Gwidonis, comitis Flandrie, filia, conventus fratrum Predicatorum Zutphanie fundatrix, in Domino requiescunt.

Duces Gelrie.

Reinaldus secundus, filius Reinaldi primi, dux Gelrie et comes Zutphaniensis, conventus fratrum Carmelitarum in Gelra de parochiali ecclesia institutor, prefuit annis 8, vivente patre, et depost 17 annis, temporibus Ludowici quarti Rom. imp. Obiitque a. D. 1343, et ducatus vero sui anno quarto, in monasterio Vallis Comitum apud progenitores suos inhumatus, apud quem ambe eius conthorales Sophia, Florencii, domini de Mechelinia, filia, et Alienora, Edwardi, regis Anglie, filia, magnificique regis Edwardi germana, cum qua solempne monasterium Monickhusen, ordinis Carthusiensis, sumptuose fundaverat, in cinere requiescunt. Duas adhuc ecclesias conventuales fratrum Minorum eadem duxissa Alienora in Daventria et Harderwyck, ad Divini nominis honorem, erexerat.

Reinaldus tercius, dictus Crassus, filius Reinaldi, dux Gelrie secundus comesque Zutphanie, prefuit 18 annis antequam a fratre suo detinebatur, temporibus Ludowici quarti et Karoli quarti, Rom. imp. Obiitque sine liberis a. D. 1372, etatis vero sue 39, in die sancte Barbare Virginis, in ecclesia monasterii Vallis Comitum apud progenitores suos inhumatus; sed Maria ipsius conthoralis, Iohannis, ducis Brabrancie, filia, que, post ipsius ducis Reinaldi, obitum, duo collegia, unum canonicorum secularium in dotalicio suo ville de Turnoutt et aliud canonicorum regularium in Kyrssdonik, fundaverat, in Domino moriens, apud genitorem suum, Iohannem, ducem Brabancie, Bruxellis in choro ecclesie fratrum Carmelitarum sepelitur.

Edwardus, Reinaldi germanus, dux Gelrie tercius comesque Zutphanie, prefuit annis 10, vivente eodem Reinaldo duce, per eum in bello, apud Tyelam cum eo commisso, detento, temporibus Karoli quarti, Rom. imp. Obiitque sine liberis a. D. 1371, etatis vero sue anno 36, in festo sancti Bartholomei Apostoli, in bello Baetzwylre, per eum ac Wilhelmum, ducem Iuliacensem, sororium suum, contra Wenselaum, ducem Brabancie, obtento, occisus. In ecclesia monasterii Vallis Comitum apud progenitores suos inhumatus, germana sua Ysabelle, inibi existente abbatissa. Cuius sponsa Katherina, Alberti de Bavaria, comitis Hollandie, filia, ab eo adhuc intacta, nepoti suo duci Wilhelmo, apostolice sedis gracia, postmodum fuerat nupta.

Wilhelmus, predictorum Reinaldi et Edwardi, ex sorore Maria et Wilhelmo, duce Iuliacensi, nepos, dux Gelrie quartus, Iulie secundus comesque Zutphanie, prefuit 31 annis, temporibus Karoli quarti, Rom. imp. et Wenselai, filii eius, et Roperti, Rom. regum et imp. Obiitque sine liberis a. D. 1402, etatis vero sue 38, in die Iuliane Virginis, in Monickhusen antedicto luctuosis exequiis inhumatus, cuius conthoralis Katharina prenominata apud eum fuit sepulta.

Reinaldus quartus, germanus Wilhelmi, dux Gelrie quintus, Iulie tercius comesque Zutphanie, prefuit 21 annis, temporibus Roperti, Rom. regis, et Sigismundi imp. Obiitque sine liberis a. D. 1423, inprovisa morte ter Leet prope Arnhem, in supradicto mo-

nasterio Monickhusen, apud germanum suum ducem Wilhelmum terre commendatum; cuius coniux Maria, comitis de Arcuria sive Arkort, ducatus Normanie, filia, Roperto, Adolphi secundi ducis Montensis, filio, postmodum contrahens, in collegiata ecclesia Nieggen, ducatus Iuliacensis, inhumatur. Reinaldo duce itaque de medio sublato, Gelrenses Arnoldum, filium Iohannis de Egmondia seniorem, Iuliacenses vero Adolphum, ducem Montensem, uti sanguinis proximiores, hinc inde in ipsorum duces et dominos discorditer assumentes, ab invicem recesserunt, unde eorum terris et subditis plura mala devenerunt.

Arnoldus, Wilhelmi et Reinaldi ducum cognatus, dux Gelrie sextus comesque Zutphanie, prefuit annis 43, temporibus Sigismundi, Alberti et Fredrici tercii, Rom. imp. Obiitque a. D. 1473, in profesto Petri ad Cathedram, ante obsidionem Novimagensem, in choro collegiate ecclesie Graviensis sepultus. Cuius uxor erat Katharina, Adolphi primi, ducis Clivensis filia, in monasterio Carthusiensi insule Virginis Marie, prope Wesaliam, apud parentes suos, ipsius monasterii fundatores, inhumata.

Adolphus, filius Arnoldi, dux Gelrie septimus comesque Zutphanie, vivente eodem genitore suo, octo, et Karolus, Burgundie Brabancieque dux, captivitatis sue tempore, tribus annis cum medio, temporibus Fredrici tercii, Rom. imp. Obiitque occisus de parte Flamingorum, quorum belligerator contra Ludovicum, Francorum regem, post ipsius Karoli ducis mortem, ab ipsius filia unica Maria, Austrie duxissa, fuerat constitutus, a. D. 1477, apud Tornacum, in die septem Dormientium, etatis sue a. 36, in capella sancti Ludovici, Francorum regis, ecclesie Tornacensis, sepultus, cuius conthoralis erat Katharina, Karoli de Borbon ducis filia, in ecclesia collegiata Novimagensi inhumata.

Ex apographo seculi decimi quinti.

B. Index vitarum et legendarum, quae inveniuntur in codice, qui continet opus Wilhelmi de Berchen.

Hec est vita sancte Geertrudis, virginis. Vide p. 139

Vita sanctissime virginis Amelberge. 1)

Vita sancti Gummari, preclari confessoris. 2)

Legenda beati Evermari, martiris.

De sancto Monone, martire.

De sancto Gerardo.

Legenda sancti Rumaldi, episcopi et martiris.

Hic sequitur aliqua exerpta ex legenda beati Livini, archiepiscopi et martiris, ex libro castri scripta in Antwerpia sive ecclesia beate Walburgis, virginis.

De festivitatibus sanctorum VII primodyaconorum.

Sequitur figura decemnonenalis epactarum et clavium maiorum.

---

1) In fine scriptum est: Explicit vita sanctissime virginis Amelberge, scripta per me Iohannem Cuxem, presbiterem in ecclesia Sti Georgii martiris, die sexta Iulii finivi vitam supradictam etc. Anno 1457. Sequitur siglum, colore rubro pictum.

2) In fine, sub eodem siglo, item colore rubro picto, legitur: Dominus Iohannes Cux scripsit anno 1457, in die Lamberti finivit hoc, predicta ut supra.

Historia sancti Karoli magni.

Sancti Adalberti oratio.

De sancta Wilgeforte.

Historia sancte Emerlindis.

De sancto Auberto, episcopo Cameracensi.

Legenda beate Hedwigis, uxor Heynrici, ducis Polonie.

De sancto Trudone.

De sancto Huberto, episcopo. 1)

De sancta Oda, vidua etc.

De sancto Eucherio etc.

De sancto Liberto.

Conversionem sancti Huberti, confessoris.

Vita beatissime virginis Aldegundis.

De sancta Begga.

Sequitur residuum de sancto Trudone, confessore.

De sanctis virginibus Herlendis et Relendis.

De sancta Atheldrietha, virgine.

De sancto Marciale, episcopo et confessore, oratio.

De Basino, rege et martire.

---

1) Ad calcem paginae adscriptum est rubro colore: *Residuum de Sto Trudone confessore quere folio.* Sed numerus folii reticetur.

De beato Norberto, adhuc non canonizato, primo institutore ordinis Premonstratencium, ut habetur apud sanctum Mychaelem Antwerpiensem.

De Thanchelino, heretico, et de Antwerpia, quod est xxxv capitulum in dicta hystoria.

De sancto Procopyo, abbate.

De sancto Caprasio, martire. Nota. De sancto Caprasio quere in libro, ubi stant generaciones sanctorum de Brabacia, post dictamen magistri Hugonis de Tollenis hystoriographus.

Incipit hic legenda beate Waldetrudis.

De sancto Albano, martire.

De canonizacione sancti Tome, episcopi et martiris.

De Eduardo, rege, confessore.

De sancta Wenefreda, virgine.

De sancto Eadmundo, episcopo et confessore.

De sancto Hugone, episcopo et confessore.

De sancto Eadmundo, rege Anglie et martire.

De miraculis sancte Gertrudis, virginis.

De sancto Iudoco, rege et confessore.

De sancto Gaugerico, episcopo et confessore.

Legenda beati Stanislay, episcopi et martiris.

De sancto Remaclo, episcopo Tungrensi.

De sancto Materno, episcopo Trevirensi, Coloniensi et Tungrensi.

De sancto Lamberto, episcopo et martire.

De sancto Gallo, episcopo et confessore.

De sancto Severino, episcopo et confessore.

De sancto Amando, episcopo et confessore.

De sancta Berlende, virgine.

ANNOTATIO.

Verba Ciceronis quae Berchenius p. 1. ex Paradoxis citat, in nostris editionibus nunc sic leguntur, Parad. II. § 18. *Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest.* Quem quidem locum satis facile fuit investigare. — Sed plane alia res est, ubi sequenti pagina citatum invenimus librum Aristotelis de *Regimine principum.* Hic enim liber inter Aristotelis opera non reperitur. Qua de re qui a me consulti sunt harum rerum periti, responderunt Aristotelem eiusmodi librum nec scripsisse nec scribere potuisse; sed probabiliter significari opusculum latine scriptum et inter snppositiția Aristotelis opera memoratum a Fabricio in Bibliotheca Graeca L. III. c. 6. § 7. Ibi utique docemur Alexandrum Achillinum, medicum ac philosophum, Bononiae a. 1516 in lucem emisisse opus septisegmentatum, in quo praeter alia latine scriptum reperitur Aristotelis Secretum Secretorum ad Alexandrum M. de Regum regimine, de Sanitatis conservatione, de physiognomia cet. cum prologo Iohannis, qui transtulit librum, filii Patricii. Haec autem suspicio utrum vera sit an falsa, dicere non possum, quum istum Achillini librum frustra quaesiverim. De fatis autem Aristotelici opusculi operae pretium est adscribere quae docet Michael Neander, a Fabricio citatus. Hic igitur in Erotematis linguae Hebraicae p. 558 eius libri meminit his verbis: „Aristotelis liber de secretis secretorum ad Alexandrum M. per Ioannem quendam filium Patricii a Graeca lingua in Chaldaeam translatus, ex Chaldaea (Syriaca) in Arabicam, postea per Philippum quendam Clericum ex Arabica in Latinam, impressus olim in Italia, quaternionibus 11. divisus per capita 24. Tractat autem primo de moribus, officiis et virtutibus quae Regem decent: deinde de corporis custodia, de hora eligendi in Astronomia: Alchimystica quaedam et copiosius de sanitate tuenda," cet.

Historia Noviomagi.

p. 1—17.

Quod Berchenius p. 2. narrat de origine Noviomagi, tamquam haec urbs condita sit a Iulio Caesare, usus testimonio Speculi Historialis, id disertis verbis narratum invenitur in Maerlantii poemate quod inscribitur Spiegel Historiael. Hic enim legimus L. VI. (edit. de Vries et Verwys) P. I. p. 240. v. 29 sq.

Julius es van daer gestreken
Ende dede sine brugge breken,
Ende quam den Rijn neder gevaren.
Aldaer so waent men te waren
Dat hi Niemagen maken dede.

Nec tamen inde affirmaverim, auctorem nostrum carmina Maerlantii habuisse cognita; quum de hac commemoratione per alios audire potuerit. Quin et fieri potest ut Berchenius aliud quoddam significaverit Speculum Historiale, quod nobis manserit incognitum. Huiusmodi quid saltem ex iis licet suspicari, quae infra p. 86. commemorat ex Speculo Historiali, quod nec Maerlantii esse potest, nec Velthemii, nec denique Vincentii Bellovacensis.

Ceterum hanc urbem a Caesare fuisse conditam legimus quoque in Magno Chronico Belgico apud Pistorium Rerum Germanic. Veter. Scriptor. (edit. Struvii) T. III p. 51. quemadmodum et Noviomagi, tamquam urbis, sub imperio Tiberii, mentio facta est in lapide votivo, qui inventus est in Pfünz qui locus unam et dimidiam horam distat ab Eichställ. In eo lapide haec leguntur verba:

um Tib. Rom(a)nus, Ulpia Noviomagi, Bata(v)us
dec[urio] alae I Flaviae p[iae] f[elicis] pos(u)it
v[otum] s(olvit)

Vid. Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunde im Rheinlande, XLIII. p. 150.

In interpretatione inscriptionis Romanae, quae memoratur p. 5. cum Berchenio nequaquam consentit Scriverius in Batavia illustrata p. 198. nec magis Merula apud Pontanum in Historia Gelrica L. I. p. 53. quorum utrumque tamen, quum singuli acerrimam crisin adhibuerint, apparet nec attendisse ad tempora quibus Berchenius vixit, et turpiter errasse in legenda inscriptione: quod more suo, id est, docte et humaniter, exposuit Janssenius in opusculo: die Sammlungen väterländischer Alterthumer aus der vor-römischen Perioden, im Königreiche der Niederlande (in: Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunde, VII. p. 50).

Ubi Berchenius p. 7—8. narrat Carolum Magnum commoratum esse Noviomagi, qua de re quidem dubitari non potest, perperam citat auctoritatem Gregorii Turonensis, utpote qui a. 594 mortuus est. Nominandum fuerat Chronicon Turonense, quod invenitur apud Bouquet, Recueil des historiens des Gaules et de la France, VIII. p. 316.

De divisione imperii a Carolo M. facta sic legimus in Chronico Tielensi p. 32. „Anno Domini octingentesimo sexto divisum est regnum per Karolum regem in filios suos, scilicet Puppinum et Lodovicum." Ad quem locum editor illius Chronici allegat Berchenii verba et sic concludit: „Haec et alia indicio sunt nostrum (id est, Chronicon Tielense) ab illo non esse descriptum, sed saepius illos aliis scriptoribus usos fuisse."

Conventus, sive placitum generale principum, ut apud nostrum auctorem nominatur p. 9. habitus est Noviomagi a. 830. Vid. Theganus, Vita Hludowici c 37. apud Pertz, Monum. Scriptor. II. p. 598. Vita Friderici episcopi Ultraiectini in Act. S. S. Bol, 18 Iulii IV. p. 460.

Matrimonium autem, quod Ludovicus cum Iuditha iniit, illegitimum fuisse per consanguinitatem, aeque quidem memorat de Beka p. 22 sqq. sed tacent omnino scriptores aequales.

Quae de Normannis narrantur p. 10—12, satis bene, quod quidem ad Gelriam attinet, conveniunt cum iis quae Historia docet. Apparebit id ex libro, quo expositurus sum de Fontibus Historiarum Gelro-Zutphanicarum, cuius pars prima brevi, ut spero, in lucem prodibit. Diploma, quo rex Lotharius monasterium Berg concessit Ultraiectinis, datum d. 2 Ianuarii a. 858. adhuc superest editumque legitur apud Bondamum in: Charterboek n°. 32. p. 33.

Quae p. 12 et 13 leguntur de Comitatu Hollandiae, quem Carolus Calvus tradidit Theodorico, ut et quae de Waltgero narrantur, ea fere ad verbum conveniunt cum Chronico Tielensi p. 47 et 56. quamobrem verosimile est hosce scriptores aequales sua ex eodem fonte hausisse; qui tamen non videtur fuisse Chronicon Iohannis de Beka, in quo scilicet p. 28 (edit. Buchel) mentio quidem fit istius doni, sed alio quodam modo facti.

Paucis absolvitur p. 13. historiola equitis illius qui Noviomagum venisse dicitur in navicula quam collo alligatam cygnus argentea trahebat catena. Pluribus autem ea exponitur a Van der Schüren, Chronick von Cleve und Mark p. 76. Quod tamen omnino attendi meretur, hoc est, quod tam hic quam ille dicat se hausisse ex libro IV historiarum Helinandi — sic enim hoc nomen scribendem est — quum tamen quartus istorum Chronicorum liber dudum perierit, vel saltem non inveniatur in Bibliotheca Patrum Cisternensium, edita a Bertrando Tissier; praeter quam nulla alia extat editio.

De nemore Noviomagensi, deque civium iuribus et finibus quos ager Noviomagensis habuerit, multa exposita sunt a Berchenio p. 16. quae apud nullum alium scriptorem inveniuntur. Vid. Van Spaen, Inleiding, IV, p. 16. 55.

De Balderico comite, cuius mentio fit p. 17. res est quam maxime incerta. Eum locum transscripsit Pontanus p. 35. Nec magis certum esse potest, quod Berchenius se legisse dicit in antiquissimo missali ecclesiae de Meer, qui locus est in Duflia; Baldericus enim sine prole mortuus est: tria igitur ista nomina vix aliter esse potest quin agnatorum fuerint; filiorum certe non fuerunt.

Versus leoninos, quibus finitur descriptio Noviomagi, Pontanus p. 30 narrat Scaligerum cum amicis suis communicasse. Ex ipso auctore nostro carmen publicavit Smith, Oppid. Batavor. p. 154. idque interpretatione explicuit Pacot, Histoire Litteraire VI. p. 110. Magister autem Laurentius, quem hi versus habent parentem, fuit aliquando, ut videtur, medicus comitis Arnoldi, idemque auctor carminis in laudem Harengae, quod inscriptum erat in tabella pensili, in coenaculo Caroli, Gelriae quondam ducis, relicta ei ab avo suo Arnoldo Egmundano. Sic scilicet hanc rem narravit Peerlkampius, de Poetis Latinis Nederlandiarum p. 19. qui testimonii loco citat Syllogen Epistolar. Anton. Matthaei p. 320.

Origo Gelriae et primi principes.

p. 18—20.

Ne dicamus de iis, quae p. 19. satis fabulose narrantur de animali isto pestifero, quod vocem Gelre clamaverit, auctor noster antiquissima tempora eo modo attingit, quo eius amor veritatis quam maxime elucet et qui mirum quantum distat a scriptoribus qui aut brevi post eum, aut hac nostra aetate primam quamdam historiam Gelriae ita composuerunt, ut non solum nomina principum sed vel facta eorum ausi sint evulgare; quae omnia parum abest ut ex ingenio ficta esse censenda sint. Quanto melius noster, qui ingenue fateatur, de prioribus Gelriae principibus usque ad Megengaudum nihil aut parum in Chronicis scriptum inveniri, ut ipse ait p. 20.

Ubi porro p. 19 libri feodales Traiectensis ecclesiae in partes vocantur, quo doceatur Zutphaniae Comitatum cum Gelriae Comitatu iam pridem fuisse coniunctum, eo significatur Memoriale, quod dicitur, Adelboldi episcopi, a d. 2 Ianuarii a. 1021. quod praeter alios editum a Bondamo in Charterboek, n°. 68 p. 93. tamen ad eum modum videtur esse conscriptum, ut pro opere spurio habendum esse censeatur.

Quod autem Berchenius p. 20 de aureo flore esculino narrat, quo Gelriae et Zutphaniae Comites arma sua insignita gestare consuerint, eo intelligendus est flos arboris mespilli. Vid. Van Spaen, Inleiding, IV. p. 303 sq.

Comes Megengosus.

p. 20—26.

Quae de vita sanctae Adelheidis exposita sunt p. 21. satis bene se habent; quod apparebit si conferes Acta Sanctor. Bol. 5 Febr. I. p. 714.

Megengosus mortuus est, nullam relinquens prolem masculinam, quamquam alii contradicunt, contendentes eum patrem fuisse praefecti Windelhini: in quibus est Pontanus o. l. p. 86. qui Megengoso opinatur negandum esse nomen Comitis, quod ei tamen, quamquam non Gelriae, revera fuisse constat. Novimus enim hoc ex Magno Chronico Belgico, cuius auctor p. 93, et Mengosum Comitem Geldriae vocans et monasterium ab eo in Vilicha extructum commemorans, addit: Haec ex Chronicis Geldrensium.

Diploma, quo ab Ottone III. Noviomagi possessio bonorum in Comitatu Hollandiae concessa est Theoderico II. Hollandiae Comiti, ea continet quae cum Historia consentiunt. Idque diploma publicavit Van den Bergh, Oorkondenboek van Holland en Zeeland, I. n°. 64, p. 40.

Quae p. 24. capitulatim narrantur de ortu Comitatus qui dicitur de Marka, uberius leguntur apud Van der Schüren p. 2, et apud Levoldum a Northof in Chronico Comitum de Marka et Altena, quod a Meibomio editum est inter Scriptores rerum Germanicarum, p. 381.

Synodus, quae Noviomagum convenit ut deliberaretur de constituendo ritu celebrandae Missae, cuius mentio fit p. 24. locum habuit a. d. XVI. m. Martii a. 1018. Cf. Brinckmeier, Handbuch der historische Chronologie p. 331. eamque commemorat Annalista Saxo, editus a Pertzio in Monum. Script. VI, p. 673. quem videmur nobis posse suspicari ab auctore nostro esse significatum ubi loquitur de Cronicis Saxonum.

Cosmodromium autem, sive Chronicon Universale, quod ad a. 1418 procurrit, auctorem habet Gobelinum Personam, editumque est ab Henr. Meibomio, Francof. 1599. f°. deinde recusum inter Scriptores rerum Germanicarum, curante nepote cognomine editos Helmstadii 1688. T. I, p. 53.

Quae porro ex vita Meinwerci allegantur, ea ipsa sunt ex cap. 164. apud Pertz, T. XI, p. 141. tam quae de hoc episcopo quam quae de eius sororibus Azela et Glismod narrantur. Minus tamen verum videtur, quod narrat, fratrem Thidericum sive Theodericum successisse patri suo in comitatu et dominiis, quippe quem constet interfectum fuisse a matre sua Athela, Balderici uxore. — Mirum vero videri possit auctorem nostrum nihil narrare de Athelae vita et sceleribus. Locus autem, ubi turpissima ista scelera perpetravit, fuit in vicinia Nieliae.

Diploma denique Henrici III. memoratum p. 25. quo curam nemoris Novio-

magensis commisit genti Groesbeeckiae, inventum est a Van Spaen; qui istud edidit in Codice Diplomatico post T. IV. Inleiding n°. 2. p. 3.

Comes Otto.

p. 26—29.

Errat quidem auctor noster, qui p. 26. Ottonem, Zutphaniae Comitem, simul quoque Gelriae Comitem appellet. Vid. Van Spaen, Inleiding, I. p. 172. Sed huic errori facile videtur ignoscendum, praesertim quum plures alii in eundem inciderint errorem.

Diploma, quod p. 26. memoratur, extat adhuc, vulgatumque est a Beyer, Urkundenbuch zur Geschichte der mittelrheinischen Territorien, I. n°. 403. p. 459. Hoc tamen notandum est, Berchenium perperam nominare annum ML quum nominandus fuisset MCI. Ceterum omnia recte sunt, et dies et mensis et indictio et annus tam regni quam imperii. Quin et acris iudicii specimen licet videre in auctore nostro, qui sagaciter suspicatus sit qua de caussa Ottoni titulus Magni Ducis sit tributus. Sed errat, uti alii, e. gr. Beyer, l. l. *Magnus* enim non est adiectivum sed nomen proprium ducis Saxoniae. Legendum est: Magnus dux, Otto de Zutphen.

Quae p. 27. narrantur de insula Walacra, feudali iure donata, aliquantum lucis accipiunt ex iis quae exposuit Kluitius, Histor. Critica Comitatus Hollandiae et Zeelandiae; I. P. II. p. 56. Pontanus p. 83. auctoritate Berchenii utitur, quo ostendat Noviomagum non a Godofredo, qui dux dicitur cum barba, destructum esse, sed a Balduino Comite; qua de re dissensus est inter historicos antiquiores.

Telonium Noviomagense, quod Henricus III. feudali iure concessit Comiti Clivensi, aeque memoratur a Pontano p. 83. ex Annalibus Cliviae, sed tamen ita ut tantummodo actum sit de castello quod dicitur Valkenhof.

Quod autem ad pannos illos scarlacos attinet, quorum mentio fit p. 29. fuerunt qui putarent eos aut alibi fuisse factos aut Noviomagi; quae opinio est Hüllmanni in opere Städtewesen des Mittelalters, I. p. 323. At dubiae rei lux affulsit ex auctoris nostri verbis, tum ex diplomate quod publicavit p. 39, ubi panni isti dicuntur Anglicenses i. e. in Anglia facti. Vid. Bergrath, das Wüllenamt zu Goch (in: Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein, V. p. 94.)

Comes Gelracus s. Gerlacus.

p. 29.

Si verum est, quod scribit de Beka p. 43. Gerlacum fuisse Comitem Zut-

phaniae ultimum — quod tamen dubitare licet, quum hoc quidem non legatur in Cod. MS. ut ex Buchelii annotatione apparet — si tamen revera Gerlacus fuit comes Zutphaniae, confitendum erit, auctorem nostrum hic in eundem incidisse errorem, de quo supra diximus. Cf. Van Spaen, Inleiding, P. I. p. 198 sq.

Quae porro narrantur de hoc Comite deque Wilhelmo, episcopo Traiectensi et de certamine cum Hollandia, ea fere ad verbum conveniunt cum iis quae leguntur in Die Cronica der hilliger Stat Coellen, unde haec delibasse sufficiat p. 163vo; „Der vurs. greve Robert nam die vlucht ind dat volck van Holland, dat meyste deyl wart erslagen. Ind also undergaff sich dat gantze lant van Holland under bysschoff. Wilhelm."

Et talem consensum inter auctorem nostrum et eum qui Chronica Coloniensia scripsit, pluribus locis licet observare, ut facile quis possit suspicari aut utrumque ex eodem fonte hausisse, aut hunc, cuius scriptum a. 1499. in lucem prodiit, ex nostro auctore delibasse. Quod quidem postremum non omni veritatis specie nobis videtur carere, si cogitamus quantus vel antiquissimo aevo fuerit commeatus inter Noviomagum et Coloniam, dioecesis suae metropolin.

Comes Otto.

p. 30.

Berchenii nostri auctoritatem sequitur Pontanus p. 96. ubi tradit Godefridum cognomine Bulionium iure secundario feudali Veluviam concessisse Ottoni. Cuius rei quis neget veritatem, quamquam ab aliis scriptoribus non memoratae; praesertim quum Godefridus, in terram sanctam profecturus, plures alias possessiones vendiderit quo sumptibus prospiceret ad eam expeditionem necessariis. Vid. Annalista Saxo ad a. 1076. apud Pertz, Monum. Scriptor. VI. p. 707.

Comes Gerardus.

p. 30—32.

In historia de extructione monasteriorum Marienweerdae et Bernae, ad verbum fere consentiunt de Beka p. 48 et auctor noster. Quae ille autem paucis absolvit, ea hic pluribus exposuit.

Comes Henricus.

p. 32—36.

Huic Comiti tres constat fuisse filias. Sed duarum tantum meminit Berchenius, quarum alteram nupsisse dicit Engelberto, Comiti Montensi, alteram Gerardo, Comiti Lossensi: quod plane eodem modo narratur in Chronicis

Coloniensibus p. 168. quae secutus Pontanus p. 110. addit, in Chronicis Geldriensibus non legi matrem Engelberti episcopi Coloniensis fuisse filiam Comitis Gelrici: quam omissionem miramur in scriptore, qui ceteroquin solet esse accuratissimus.

Quae de electione episcopi Traiectini narrantur p. 33. ea iisdem fere, sed paucioribus verbis leguntur apud Bekam p. 52. Nomen vero episcopi quod apud nostrum p. 33 scriptum est Herm. de Hueryc, oportuit scribi Herm. de Horne. De nomine autem eius, quem hic habuit competitorem, non consentiunt scriptores. Opinatur tamen Buchelius ad Bekam p. 52. n. *a*. Berchenium proxime accessisse ad verum.

In historia certaminis, quod episcopo Traiectino fuit de praefectura Groningae et cuius mentio fit p. 33 sq. auctor noster in quibusdam rebus ad verbum convenit cum Chronico Egmundano sive Chronico Hollandiae Anonymi apud Kluitium in Hist. Crit. p. 104. sed multo amplior est, aeque ac Beka p. 53.

Historiam extructionis monasterii, quod dicitur Bethlehem prope Doetinchemum, ubi narrat Pontanus p. 109, sequitur auctorem nostrum p. 35. qui in rebus maioribus omnem fidem meretur. Ipsa documenta adhuc supersunt, quae a me edentur inter Fontes historiarum Gelro-Zutphanicarum.

Comes Gerardus.

p. 36. 37.

Quae de Velua narrantur, fere ad verbum conveniunt cum iis quae exposuit de Beka p. 56.

Comes Otto.

p. 37—53.

Praeter tres filios, quorum nomina Berchenius memorat p. 37. Henricum, Gerardum et Ottonem cum unica filia, hic Comes etiam quartum habuit filium, Ludovicum, et alteram filiam, Margaretham, quorum nulla mentio facta est.

Onechte oorkonde Zie Sloet, Oorkondenb. aant. bij n° 361.

Diploma quod refertur p. 39. uni debetur auctori nostro, quippe quod nusquam alibi sit servatum; quod verbo dixit Pontanus p. 114. sed pluribus exposuit In de Betouw, Handvesten van Nymegen p. 75. Bondamus tamen in Charterboek n°. 64. p. 236. dubitat de fide diplomati habenda; cuius aetati fortasse rectius fecerimus si decem annorum spatium detrahamus. Nequaquam tamen de ea fide dubitat Stumpf, die Reichskanzler, II. n°. 4345. p. 390. Operae tamen pretium est id bene observare, quod annotavit Böhmer, Regesta regum atque imperatorum Romanorum inde a Conrado usque ad Henricum VII, n°. 2649. p. 143 scilicet in hoc diplomate mentionem fieri antiquioris cuiusdam

diplomatis ab Henrico II. dati, *cuius rescriptum* — sic enim hic legimus — *habuimus, et etiam in registro imperii continebatur.* Perquam vero mirum videri possit nullam omnino huius Diplomatis mentionem factam esse a Van Spaen, nec in Inleiding nec in Historie.

Quod Fredricus testatur se favorem praestitisse Ottoni propter fidele obsequium, hoc spectare videtur ad certamen cum Duce Henrico Leone prope Gelehem sive Gelehuzen, ut convenienter Historiae ab auctore nostro expositum est. Vid. Diploma apud Lacomblet, Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins, I. n°. 472. p. 331. d. 13 Aprilis 1180. cui aqua et igni, ut aiunt, interdictum est, publicatis ducatibus Westphaliae et Angariae in commodum episcopi Coloniensis, cui comes Otto auxilium suum praestitit.

Inter principes, qui Fredricum comitati sunt in itinere in Italiam, auctor noster p. 41 nominat etiam Henricum, Gelriae Comitem; quod affirmat Pontanus p. 107. Nec minus vera sunt quae de defectione Henrici Leonis narrantur. Vid. Sporschil, Geschichte der Hohenstaufen p. 242 sq.

Diploma, cuius mentionem facit Berchenius p. 42 et 44. videtur periisse. Falsum autem est, quod contendit Pontanus p. 115. anno 1176. non Phillippum, sed Reinoldum, fuisse archiepiscopum Coloniae; quod quidem omni caret argumento. Reinoldus scilicet decessit a. d. XIV. m. Augusti a. 1167. eique statim successit Philippus. Sed hoc quidem non videtur posse negari, pro anno 1176, scribi oportuisse 1186.

Quae narrantur p. 47—51, et historiae convenientia sunt et plerumque ad verbum conspirant cum de Beka p. 58—63.

Conditiones pacis, quae p. 47 memorantur et diploma, quod ab Henrico Imperatore cum bulla aurea a. d. XVI. m. Martii a. 1196 datum esse dicit auctor noster, extant apud Bondamum n°. 76. p. 263 et n°. 75. p. 255.

Diploma, quod praeter Berchenium p. 51. nemo alius memoravit, quo Otto a. 1204 ecclesiae Leodiensi tradidit Dirte, Glene et Wer, inter Fontes a me publicandos edetur ex Archivis ecclesiae cathedralis Leodiensis. Caeterum fallitur Pontanus p. 124. ubi auctorem nostrum accusat quod comitem Ottonem nominet, quum nominandus esset eius successor Comes Gerardus. Cuius erroris origo in eo quaerenda est quod Pontanus mortem Ottonis referat ad a. 1202. secutus hac in re auctorem nostrum p. 53. Sed vix dubium est quin in hoc numero scribentis calamus erraverit.

Comes Gerardus.

p. 53—61.

Literae, quibus hic Comes a. d. 16 Iunii a. 1224 concessit monasterium Ruremundense extruendum, inveniuntur apud Bondamum n°. 121. p. 334.

Locus, ubi episcopus Otto mortuus sit, a Beka p. 68. dicitur Nordthuza. Sed alii aliter statuunt. Vid. Cl. Moll, Kerk. geschiedenis van Nederland vóór de Hervorming, II. p. 107. n°. 3. Ex nostro autem auctore p. 54. docemur eum locum fuisse Voerthusen, inter Altinas et Heerenbergam, in Borussiae finibus.

Quae leguntur inde a p. 55 usque ad p. 59. ut plurimum ad verbum consentiunt cum Beka p. 69. qui tamen hic illic minus accuratus est et omissis quibusdam verbis duas sententias in unam contrahit. Exempli caussa contextum utriusque scriptoris inter se contendemus. Ubi igitur auctor noster sic scripserat: „*Huiusmodi temporibus, Otto de Lippia, episcopus Traiectensis supra dictus, anno* XXII. *de Hierosolimitana expeditione cum Fredrico* II. *Romanorum imperatore, reversus, terram suam per fratrem suum Hermannum bene pacatam invenit. Nichilominus tamen maximis discordiis adversus Gerardum, Comitem Gelrie, promotorem suum, se involvit;*" ea omnia de Beka his verbis in unam contraxit sententiam, quam tamen nemo non facile intellexerit: „*His temporibus Otto Traiectinus episcopus de Hierosolymitana profectione reversus totam terram suam bene pacatam invenit, qui maximis se discordiis involvit.*" Praeterea quoque Beka Comiti Gelrico perperam Ottonis nomen tribuit; quod aeque factum est in Chronico Tielensi p. 187. cuius quidem auctor saepius huiusmodi commisit errores.

Documenta, quae pertinent ad pacem, quam Conradus, Apostolicae sedis legatus, p. 56. conciliavit inter Episcopum Traiectensem et comites Gelriae ac Hollandiae, extant apud Bondamum n°. 123. 124. 125. p. 338. 341. 346.

Caedes Engelberti, archiepiscopi Coloniensis, et res quae hanc caedem sunt secutae, a Berchenio p. 59 et 60. pluribus expositae sunt quam factum erat ab auctore Chronicorum Coloniensium p. 184vo et 187vo ex quibus ipse sua hausisse fatetur. Quae igitur Berchenius plura habet quam illic leguntur, ea derivasse censendus est ex Chronicis Treverensium et Monasteriensium et Markensium; quos fontes hoc eodem loco indicavit p. 60. Hoc autem monendum esse duxi, ne quis suspicetur Berchenium alia quaedam habuisse Chronica Coloniensia, ampliori stilo confecta.

Extructio monasterii in pago Zenwenden, quae legitur p. 61. iisdem plane verbis narratur in Chronico Tielensi p. 194.

Quod idem quoque dicendum est de emptione bonorum a monasterio in Oostbroek p. 61. quae in Chronico Tielensi narratur p. 193. Sed auctori nostro hoc debemus quod docuerit Oostbroek fuisse in vicinia Traiecti. Quod si novisset Van Spaen, non ita miratus fuisset, ut opinor, ad istud monasterium referri verba *Capitulum Laurentii*, quae leguntur in literis Henrici, quibus eam venditionem confirmavit, quae scriptae sunt a. d. XIX. m. Ianuarii a. 1228. quaeque leguntur apud Bondamum n°. 135. p 365.

Comes Otto.

p. 61—72.

Ex privilegiis, quorum mentio fit p. 61. nonnulla reperiuntur apud Bondamum.

Quod legimus p. 62. Goswinum de Borne dominium suum a Comite Ottone accepisse feudali iure utendum, id confirmatur diplomate m. Decembris a. 1234. apud Bondamum n°. 14. p. 411. apud quem p 371. n. 1. legitur etiam diploma regis Henrici diei 31 Augusti a. 1230. quod Berchenius commemorat p. 62. quo urbi Noviomagensi eadem conceduntur iura quae habebat urbs Aquisgranensis. Apud Bondamum porro p. 467. n. 55. legitur diploma, quo rex Wilhelmus a. d. XV m. Iunii a. 1248 Comiti Ottoni castrum Noviomagense cum omnibus eo pertinentibus rebus obligavit, qua de re Berchenius loquitur p. 63. Idem denique p. 519. n. 100. publicavit diploma regis Richardi a. d. XX. m. Maii a. 1257 quod a nostro auctore citatur p. 66. In Chronico autem Tielensi p. 227. Richardus falso nominatur Rodolphus.

De condenda nova ecclesia in urbe Noviomagensi auctor noster p. 67. scribit extare literam, sigillis Ottonis comitis et civitatis Noviomagensis sigillatam Ea ipsa litera a Van Spaen revera inventa est Coloniae in Archivis ecclesiae Sanctorum Apostolorum; quam publicavit in Codice Diplomatico post P. II Introductionis n. 32. p. 69. Quae vero praeterea de ecclesia ista narrat Berchenius, ea aliunde non erant cognita.

Quae p. 70. narrantur de certamine gentis de Menhovele, cui auxilium tulerunt Comites Gelriae et Flandriae, contra episcopum Monasteriensem, fere ad verbum conveniunt cum Catalogo Episcoporum Monasteriensium, qui manu scriptus extat in bibliotheca Societatis Litteraturae Nederlandicae sub n°. 11750.

Terram, quae dicitur Goy, apud Hengelo et Zelhem, comes Otto d. XXVIII. m. Septembris a. 1255. acceperat ab Hermanno de Lon; vid. Bondam n. 89. p. 503. Inde igitur apparet non potuisse fieri — quod tamen Berchenius p. 71 factum esse dicit — ut haec terra ab illo concessa sit Ludolpho, episcopo Monasteriensi, qui mortuus est d. 10. Iunii a. 1248.

Comes Otto, a Proceribus Hollandiae Zeelandiaeque tutor datus Florentio, Wilhelmi defuncti filio minorenni, in Chronico Tielensi p. 231 perperam vocatur huius pueri *avunculus;* contra apud Berchenium p. 72. vocatur Florentii *nepos*, quae vox istis quidem temporibus idem significabat quod agnatus sive cognatus.

Quae p. 72 sq. leguntur ad a. 1264. pertinentia, plane consentiunt cum Beka p. 92 ubi tamen nulla omnino mentio fit de insurrectione in Anglia contra regem Henricum.

Diploma, quod ab iis confectum est qui arbitri fuerunt litium inter comitem Gelriae et Cliviae, quod Berchenius p. 75 dicit extare apud Noviomagenses, editum est a Bondamo n. 141. p. 583.

Minus verum videtur esse quod p. 76 tradit, Henricum, episcopum Leodiensem, aedificasse castrum dictum Montfort *pro munimine Comitatus Gelriae.* Aedificavit scilicet non aliis, sed sibi ipsi. Eius autem castri dominium episcopus postea legavit fratri suo Ottoni comiti.

Quae p. 77. leguntur de cursore cum literis ab Ottone Parisios misso, ad Lodovicum Franciae regem, deque responso conviciis pleno cursoris reducis, a Comite interrogati an regem vidisset, et quae inde secuta sunt, ea non quidem inveniuntur in aliqua Vitarum huius regis, quas edidit Bouquet in: Recueil des historiens des Gaules et de la France, xx. p. 1—464. sed utique inveniuntur apud Thomam Cantimpratensem de Apibus L. II. c 56 Edit. Coloniensis quae prodiit circa a. 1473. quem librum Gallice conversum edidit Vincentius Willart, Bruxell. 1650. 4.

Comes Reinaldus.

p. 77—87.

Mors Ermgardis, quam Reinaldus priorem habuit uxorem, a Berchenio p. 77 refertur ad a. 1290 qua in re consentit Chronicon Tielense p. 240. Sed verius dictum erit, si huic numero aliquot anni abstrahentur.

Castrum Culemburgense, ab Huperto concessum Ottoni, quod dicitur p. 78. confirmatum est diplomate dato a. d. XII. m Novembris a. 1281. quod publicavit Bondamus n. 42. p. 661. apud quem n. 53. p. 678. deinde quoque legitur Diploma regis Rudolphi d. XX m. Iunii a 1282. quo in Reinaldum transfertur ius cudendi nummos in urbe Arnhemiensi. Quo autem idem ille rex d. XXXI m. Iulii a. 1290 Reinaldo permisit monetam Arnhemia Ruremundam vel Harderovicum transferre, editum est a Nijhoff, Gedenkwaardigheden uit de Geschiedenis van Gelderland, I. Oorkonden n°. 25. p. 32. de

quibus diplomatibus ubi auctor noster loquitur p. 78. quod quidem ad alterum, falso nominat Adulphum regem pro Rudolpho.

Litera domus Clivensis, a. 1283. quae p. 79. memoratur, data est d. 14 m. Octobris et edita a Van Spaen in Cod. Diplom. post P. II. Introd. n. 35. p. 76. et a Lacomblet, Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins, II. n. 783. p. 459. qui quamquam in reliquis inter se consentiunt, in unius tamen vocis vel potius literae usu dissentiunt: apud Van Spaen scilicet, quod item apud Berchenium invenitur, scriptum legitur: omnem *decimam* in Huinipe *vivorum* et aliarum rerum; alter contra edidit *decimam vinorum*, quae lectio non valde probabilis est.

Duo diplomata, quibus Rudolphus oppida Noviomagum, Duysburgum et Daventriam gubernanda commisit Comiti Clivensi p. 79 memorata, eiusdem anni sunt 1283 et edita a Lacomblet n. 893. p. 533 et n. 898 p. 536.

Ad discordiam quae inter Gelriae et Cliviae Comites orta est, cuius mentio fit p. 83. pertinere videtur diploma quod citat Van Spaen, Historie, p. 286. qua in re narranda Pontanus p. 169. Berchenium, quamquam non addito nomine, videtur esse secutus.

Traditio castri apud Buren, eadem p. 83. memorata, locum habuit d. 17 m. Aprilis a. 1298. Cuius facti diploma optime publicatum est apud Van de Sande in Commentatione ad Consuetudines Feudales p. 30.

Diploma regis Henrici, datum d. 5 m. Septembris a. 1310. ex quo ea videntur hausta, quibus Berchenius p. 85 sq. narrat Gelricis concessum esse ius de non evocando, editum extat apud Pontanum p. 180.

Historiam Reinaldi, qui patrem suum Reinaldum ab a. 1318 usque ad a. 1326 custoditum tenuerit in castro Montfort, Berchenius p. 86. dicit contineri in Speculo Historiali. Quo nomine tamen quemnam significaverit librum, pro certo definire non possum. Nec enim de Maerlantii carmine nobis licet cogitare, quippe quo res non ultra a. 1250 enarratas esse sciamus; nec magis de Velthemii opere, quod nec ad a. 1418 procurrit et historiam Gelriae, ni fallor, plane relinquit intactam. Speculum autem Historiale quod habemus a Vincentio Bellovacensi conscriptum, finitur a. 1244. Igitur vix aliter fieri potest quin Berchenius aliud quoddam habuerit Speculum Historiale, quod nobis incognitum est.

Verba Henrici de Hervordia, quae citantur p. 86. sunt ex libro quem hic scripsit de Rebus Memorabilibus, quod est Chronicon ab Orbe Condito ad annum 1355. Fabricius in Bibliotheca Mediae et Infimae Latinitatis L. VIII.

p. 659. dicit opus esse *quatuor spissis voluminibus*, *adhuc ineditum*. Audio nunc esse editum a Potthast a. 1859 Sed librum nondum vidi.

Reinaldus Comes et Dux.

p. 87—102.

Plerique scriptores consentiunt cum Berchenio, ubi p. 87 opinatur Mariam, filiam Reinaldi, quae nupsit Wilhelmo, Comiti Iuliacensi, natam fuisse ex priori matrimonio cum Sophia Mechliniensi; non ex altero matrimonio, quod Reinaldus postea iniit cum Eleonora Angliae. — Tertia filia, quae Berchenio p. 87 et post eum Pontano p. 209 Ysenbella appellatur, Elizabethae nomen gerit apud Van Spaen, Inleiding, P. II. p. 261. — Dies, quo Sophia, prior Reinaldi uxor, mortua est, ab aliis non videtur memoriae mandatus esse; quem quum memorat Pontanus p. 212. hunc nostrum citat auctorem.

Acquisitio dominiorum de Kessell et de Krikembeeck, de qua mentio fit p. 88. locum habuisse videtur a. 1326. Hoc quidem certe constat Matthaeum de Kessell d. 10 Augusti a. 1338 professum esse se arcem de Kessell feudali iure accepisse a Reinaldo Comite. Vid. Nijhoff, o. l. I. Oorkonden n. 331. p. 375.

Ubi Pontanus p. 210. epistolam evulgavit, qua Reinaldus Comes, utpote vasallus imperii, evocatur ut Romam tendat quo tempore rex Ludovicus coronandus erat, non dixit, unde ista epistola ad suam notitiam venerit; sed vix dubitari licet quin eam ex nostro auctore delibaverit, apud quem legitur p. 89. Eadem tamen extat quoque in Chronicis Coloniensibus, p. 225. quin et apud Bekam p. 113. quamquam hîc ea non ad Reinaldum data est, sed ad Wilhelmum comitem Hollandiae. Ceterum hic scriptor in plerisque cum Berchenio consentit in iis quae ad Romanum istud iter attinent, usus tamen paucioribus, quam alter, verbis.

Diploma, quo Adolphus, episcopus Leodiensis, Mechliniam et plurima alia bona, quae p. 91, enumerantur, concessit Reinaldo, reperitur apud Pontanum p. 211. Pacta autem dotalia, quibus ea bona attribuuntur filiae Comitis Reinaldi, matrimonium inituræ cum filio comitis Gulicensis, leguntur apud Nijhoff, o. l. I. Oorkonden n. 268. p. 300. Apud Berchenium vero nomina propria aliquantum videntur confusa.

Quae narrantur p. 91 sq. de episcopo Traiectensi, qui castrum Vollenhoven, totam Sallandiam et Twentiam comiti Gelrico in vadimonium dederit, ea con-

firmantur diplomate d. 20 Martii a. 1336; unde tamen apparet Berchenium errasse in computatione anni. Idque diploma reperitur apud Van Mieris, Charterboek der Graaven van Holland en Zeeland, T. II. p. 576.

Quae pertinent ad Ecclesiae Walburgensis capitulum ex urbe Tielensi translatum in Arnhemiensem, ea a Berchenio p. 92 multo amplius enarrantur quam in Chronico Tielensi p. 302 et 322. Eo autem pertinet diploma Guidonis, episcopi Traiectensis d. 9 Octobris a. 1315. aliudque quod in eo insertum est, Comitis Reinaldi, d. 1. m. Octobris, editum a Slichtenhorst p. 575. Ad dictum autem Chronicon Tielense editor annotavit, omnem culpam translati capituli vulgo in oppidanos reiici; eiusque famae testem citat Berchenium. Vid. Brouwer, Nalezing van de Beschrijving van Arnhem, door J. W. Staats Evers, p. 39.

Quae p. 92 sq. dicuntur de bello cum episcopo Monasteriensi, in quibusdam sententiis ad verbum conveniunt cum Catalogo MS. de quo supra diximus. Ex auctore autem nostro Pontanus p. 213. descripsit versus in expugnationem urbis Vreden, et quidem ita ut emendatum dederit, qui apud nostrum corruptus legitur, versum primum. Quod idem quoque fecit in iis quae pertinent ad sopitam, quae inter episcopum Monasteriensem et Comitem Gelricum fuerat, discordiam de Bredevoort; quem locum a Wilhelmo duce in vadimonium concessum esse, confirmatur diplomate d. 14 Novembris a. 1388. quod publicavit Nijhoff, III. n. 148. p 148.

Historia belli inter Comites Gelriae et Brabantiae gesti, foedera quae inter illos icta sunt et arbitrium Philippi, regis Francici, quae narrata extant p. 94 nituntur his diplomatibus: a. d. XI m. Maii a. 1332; a. d. XXX m. Novembris a. 1333; a. d. V m. Ianuarii a. 1334; a. d. XXX m. Augusti a. 1334; a. d. XXIX. m. Augusti a. 1337. apud Nijhoff, o. l. I. n. 261. p. 277; n. 287. p. 322; n. 288. p. 329; n. 294. p. 233; et n. 313, p. 362.

Historiam monasterii Carmelitarum in Monnikhuizen prope Arnhemiam conditi, sic ut a Berchenio enarrata est, in opus suum transtulit Van Spaen, Historie, p. 537. Condendo isti monasterio Comes Reinaldus per testamentum d. 27 m. Martii a. 1322 constituit certam pecuniam; qua de re deinde d. 24 Iulii a. 1342. ampliora mandata dedit.

Quae res acciderunt inter Reinaldum eiusque uxorem, omnium commiseratione dignissimae, a nullo scriptore videntur memoratae, ut ex Pontano p. 241 apparet, praeterquam a nostro, qui eas exposuit p. 100. quae ad verbum conveniunt cum Chronicis Coloniensibus p. 255vo.

De spiritu prophetico, quo Reinaldum, dum Wilhelmum de sacro fonte

susciperet, Berchenius p. 100 scribit vaticinatum esse, hunc Comitem Hollandiae à Frisonibus occisum iri, loquitur item Beka p. 118.

Ex epitaphio, quod Berchenius citat p. 101. non nisi quattuor priores versus memorantur in Chronicis Coloniensibus p. 256 et in Magno Chronico Belgico p. 326.

Mirari licet quod apud Berchenium altissimum silentium sit de promotione Reinaldi, qui scilicet ex Comite factus est Dux. Hîc enim, quasi opportunissimo loco, facile plurimus esse potuisset in honorem principum Gelriae. Fit autem huius rei mentio in Chronico brevi, quod si a Berchenio scriptum est, scire potuit ipsum promotionis annum.

Reinaldus Dux.

p. 102—109.

Quae Berchenius p. 102. scribit de litibus coortis inter eos qui se Heeckeranos et eos qui se Bronkhorstianos nominabant, ad verbum conveniunt cum Chronicis Coloniensibus p. 258vo.

Quemadmodum regimen Gelriae per Eduardum, regem Angliae, traditum esse Wilhelmo, marchioni Iuliacensi, narratur p. 103. ita quoque id narrat Pontanus p. 257. Sed diploma d. 22 Martii a. 1347 quod Berchenius in partes vocat, nec invenitur apud Nijhoff nec apud Lacomblet.

Pronnutiatio in vim compromissi, quam Berchenius p. 105. ad a. 1358 refert, est d. 21 m. Iunii et reperitur apud Nijhoff, o. l. II. n. 87. p. 103.

Sequitur apud auctorem nostrum p. 105 sq. historia belli, quod homines de plebe gesserunt, qui nomen sibi imposuerunt Vryen; tum quoque caedes Emerici de Drueten et denique expugnatio castelli Buynsweerd: quae omnia fere in suum opus transtulit Pontanus p. 265. Nomen autem istius castelli quum nusquam invenire se potuisse dicat Nijhoff, II. p. LX. n. 1 suspicatus est pro *Buinsweerd* legendum esse *Ooiswaard*. Sed in sinistra ripa fluminis Vahalis etiam nunc locus extat qui *Bunswaard* appellatur, paullo inferior quam Weurt.

Quae p. 107. exponuntur de auxilio quod Adolphus, episcopus Monasteriensis praestiterit partibus Heeckeranorum, ad verbum fere conveniunt cum Catalogo MSto.

In describendo praelio quod a. 1361 prope Tielam gestum est et in quo dux

Reinaldus captus est, auctor noster p. 108 amplior est quam Chronicon Tielense p. 369. Et quae ibidem narrantur de curiose excogitata ratione custodiendi hunc ducem, ea iterum hinc derivavit Pontanus p. 275 et conveniunt cum Chronicis Coloniensibus p. 265.

Eadem autem Chronica Coloniensia satis ample loquuntur de tetra societate Archipresbyteri; sed ista aliquantisper discedunt ab iis quae a nostro auctore p. 109 de ea re narrantur. In illis ea historia hanc habet inscriptionem : *Van eyme groissen voulck dat genant was die groisse geselschaft off die Engelschen.*

Dux Eduardus.

p. 110—115.

Quomodo dux Clivensis per proditionem conatus sit occupare Noviomagum, et qualem hic se praestiterit piscatori qui secum communicaverat consilium Ducis Eduardi clam interficiendi, ea exposuit Pontanus p. 279 et 282; sed in his unice sequitur Berchenium, p. 110 sq. praeter quem nemo de ea re locutus est.

Historia per fraudem interfecti Eduardi Ducis post praelium prope villam Barswilre, in Chronicis Coloniensibus p. 271vo multo amplius enarratur quam apud Berchenium p. 113.

Vaticinium, quo Reinaldus Dux in custodia sua praedixerit se non prius moriturum quam omnibus vinculis liberatus in dominium ducatus Gelriae foret restitutus, Pontanus enarrat p. 293. sed non alia nisi nostri scriptoris auctoritate p. 114.

Ubi denique Berchenius p. 114. quo probetur corpora pinguia non diu posse vivere, testimonium affert *Philosophi*, eo loco in Chronicis Coloniensibus p. 285 nominatur Aristoteles. Nec sane dubium est quin hic a Berchenio sit significatus. Aristoteles enim in opere de Partibus animalium L. II. c. 5. docet „celeriter ea senescere quae valde pinguerint, quippe quae parum sanguinis habeant, utpote cum copia sit absumpta ad pinguedinem. Quae autem parum sanguinis habeant, ea iam inde ad interitum esse opportuniora. Interitum enim esse inopiam quandam sanguinis." Ipsa Aristotelis verba, si quis Graeca malit legere, haec sunt: *Διὸ καὶ γηράσκει ταχέως τὰ λίαν πίονα· ὀλίγαιμα γὰρ, ἅτε εἰς τὴν πιότητα ἀναλισκομένου τοῦ αἵματος· τὰ δ' ὀλίγαιμα ἤδη προοδοποιεῖται πρὸς τὴν φθορὰν, ἡ γὰρ φθορὰ ὀλιγαιμία ἐστίν.* Pontanus autem, qui p. 293 fere ipsa Berchenii verba

fecit sua, omnino nescivisse videtur quis hoc philosophi nomine sit intelligendus.

Dux Guilielmus.

p. 119—127.

Annus, quo Guilielmus ad Gelriae regimen pervenerit, a Berchenio p. 119. dicitur fuisse 1379. eumque sequitur Pontanus p. 318. Sed revera iam duobus annis ante factus fuerat Dux Gelriae et Comes Zutphaniae. Quum enim d. 29 m. Novembris a. 1377 has regiones ab Imperatore Carolo feudali iure accepisset, ipse eiusdem anni d. 7 Decembris privilegia Arnhemiae confirmavit, ut apparet ex diplomatibus quae edita extant apud Nijhoff, o. l. III. n. 36. p. 51. et n. 41. p. 56.

Quod ad vinum attinet ab episcopo Coloniensi praestandum Duci Gelriae, p. 122. id confirmatur ex libris Rationum huius Ducis, qui etiam nunc extant in Archivis provinciae Gelriae. Vid. Nijhoff, o. l. III. p. LXXXII. n. 3.

Ex Berchenio p. 123. denuo sua delibavit Pontanus p. 337. ubi narrat de auxilio quod Dux Guilielmus praestitit Comiti de Katzenelleboghe contra Comitem Sancti Pauli in Luxemburgia.

Similiter hinc quoque sua derivavit Pontanus p 335. historiam narrans de expugnato per Guilielmum castro de Schoonvorst, a Berchenio memoratam p. 124. quum hac in re Chronicon Tielense nimis sit breve.

Nec minus ex nostro auctore p. 126 desumpta sunt quae Pontanus p. 336. narrat de scabinis Bomeliensibus, qui Buscoducum concesserunt; quaeque postea acciderunt et ansam dederunt bello quod gestum est inter Gelriam et Brabantiam.

Habebatur istis temporibus, ut docemur a Berchenio p. 126 mercatus Buscoduci *in Vigilia nativitatis Iohannis*, id est, die XXIII m. Iunii, ad quem multi ex Gelria convenire solebant mercatores. Qui dies etiam his nostris temporibus habendo mercatui destinatus est. Habemus igitur in ea re exemplum consuetudinis quae per quatuor fere secula duravit immutata.

Pestilentia, quam a. 1400. ubique viguisse narrat Berchenius p. 126. item memoratur in Chronico Tielensi p. 134. ubi haec adduntur verba: „Quae mortalitas postea longis temporibus dicebatur Die grote starft”

Duces Reinaldus, Arnoldus, Adulphus.

p. 127. 128.

De his principibus quum non nisi paucissima narret auctor noster, apparere videtur eum opus suum non perduxisse ad finem, aut certe postremae parti non ultimas, quod dicitur, admovisse manus.

Accusat autem Berchenium Goethalsius l. l. quod neglecto turpissimo crimine Adolphi in patrem suum Arnoldum perpetrato, contendat hunc sua voluntate cessisse imperio. Sed haec quidem cessio nequaquam dubium est quin revera facta sit, quandoquidem extet diploma in eam rem confectum, quod et ab Arnoldo ipso subscriptum est et eius sigillo confirmatum. Vid. Nijhoff, IV. Oorkonden n. 420. p. 361. — Veram igitur totius rei conditionem si aliunde non novissemus melius, necesse esset ut ex hoc diplomate persuasum nobis haberemus, cessionem imperii plane voluntariam fuisse et omnem rem sine odio vel ira convenisse inter patrem et filium. At Berchenius, qui iis ipsis vixerit temporibus, quis dubitat quin rem istam melius scire et potuerit et debuerit. — Sed quotusquisque est historicus quem non aut favor aut metus principis, sub quo viveret, eo seduxerit ut aequalium suorum facta aut multo plus quam mererent, laudaverit, aut iusto minus reprehenderit.